Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Medicorum Silesiacorum Satyrae, Quae Varias Observationes, Casus, Experimenta, Tentamina Ex Omni Medicinae Ambitu Petita Exhibent ...**

## Specimen IV

Wratislaviae: Lipsiae: Korn, 1737

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747**

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0001
DFG

Hierein dreizehn Stück.

Ma – 3605.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0004
DFG

# MEDICORVM SILESIACORVM SATYRAE,

QVAE
VARIAS
OBSERVATIONES,
CASVS, EXPERIMENTA,
TENTAMINA,
EX
OMNI MEDICINAE AMBITV
PETITA,
EXHIBENT.

## SPECIMEN IV.

*CVM FIGVRIS.*

---

WRATISLAVIÆ ET LIPSIÆ,
IMPENSIS JOH. JACOBI KORNII.
1737.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0005
DFG

SENECA.

*VENTVRVM EST TEMPVS*
*QVO*
*ISTA QVAE NVNC LATENT*
*IN LVCEM DIES EXTRAHAT*
*ET*
*LONGIORIS AEVI DILIGENTIA.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0006
DFG

# OBSERVATIO I.

## D. GOTHOFREDI HENRICI BVRGHART,

Medici Wratislavienſis.

*Conſtitutio Thermarum Landeccenſium Anni 1736.*

§. I.

Qvum aliquoties iam publice, ad *Commentarium Hiſtorico-Phyſico-Medicum De THERMIS in Bohemia LANDECCENSIBVS* conſcribendum, me obſtrinxerim, huius ad vmbilicum mox deducendi cauſa, me Anno proxime præterlapſo, ſcilicet 1736, menſe Auguſto Landeccam denuo contuli, & per integras ibidem ſex ſeptimanas commoratus ſum, vt, quæ reſtarent ibidem inquirenda, adhuc collectaneis meis infererem. Scriptum ergo illud promiſſum lingua patria exaratum, TE LECTOR, certo certius, præſente, qui agitur, anno, expectare iubeo.

§. II.

Ipſas Thermas, licet, vt in vulgus notum eſt, æſtas fere tota admodum frigida & pluuioſa

exiſteret, neque ratione caloris, neque ratione effectus aliquid damni aut mutationis paſſas fuiſſe, non obſeruaui, quare falſa fuit & vana quorundam perſuaſio: easdem hoc anno non tam vtiles aut proficuas eſſe quam alio, & calidiori tempore.

§. III.

Attamen negandum non eſt, eas in plurimis effectum alias conſuetum, excretionem ſcilicet cutaneam (den Ausſchlag) tardius & difficilius produxiſſe, in corporibus præſertim balneis nondum adſuetis, ſed prima vice eis tunc vtentibus. Cuius tamen cauſa in vires ſalutarium aquarum imminutas non coniicienda, ſed Athmoſphæræ admodum frigidæ & pluuioſæ imputanda erat.

§. IV.

Quum ergo efflorescentiæ ſolitæ aut oppido tarde, aut in multis plane non adparerent, & natura tamen balnei vſu, ad materiam ſuperfluam vel noxiam eliminandam, nihilominus incitaretur; humores peccantes ad inteſtinales glandulas & colatoria deriuati, plurimis aliquot dierum Diarrhœam, eamque ſatis largam, excitarunt. Nec mihi ipſi, quamuis exanthematica excretio cutanea, vix triginta horis balneorum vſui impenſis, adparens, ex voto ſucceſſit, moleſta talis vicaria humorum depletio pepercit, ſed me per triduum, qui communis durationis terminus erat, probe defatigauit.

§. V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0008
DFG

§. V.

Quia vero tam inconſuetum ſymptoma, quum alias Thermis vtentibus aluus ſegnior exiſtat, ægris, neſcio quem, incuſſit metum, & ſiniſtrum balnei effectum prædicere videbatur, meum implorarunt auxilium. Omnes tamen bono eſſe iuſſi animo, quem, re expoſita, & quid cauſæ ſubeſſet perſpicientes, etiam reſumebant. Ne vero otioſum plane ſpectatorem agere viderer, opem petentibus, pulueribus ex terreis præcipitantibus, cum ſalibus digeſtiuis & momento rhabarbari maritatis, eandem præſtiti, dolores coniunctos lancinantes, Eſſentia Cort. aurantior. cascarill. & nitri ſpiritu dulcificato, ſibi inuicem mixtis, facile compeſcui.

§. VI.

Quos non adparente efflorescentia Diarrhœa intactos reliquit, Motus plus minus vehementiores febriles vexarunt, præmiſſo tamen laxante primarum viarum ſordes eluente, exhibitis poſtea terreis abſorbentibus, & diaphoreticis fixis, ſalibus mediis iunctis, & Mixtura diapnoico - reſoluente in ſubſidium vocata, facile cedentes.

§. VII.

Tertium morbi genus erat Catarrhus quidam, aliquibus haud parum infeſtus, primo ſeſe pectoris anguſtia & raucedine exerens, poſtea in tuſſim ſatis vehementem abiens, & copioſo demum materiæ mucidæ eiectu ſoluta. Cui

 natu-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0009
DFG

naturæ intentioni vt ſatisfieret, crebrum infuſi herbæ Theæ aniſo ſtellato acuati vſum ſuaſi, datis ſimul lenioribus reſoluentibus becchicis, qualia erant Eſſent. Pimpinel. alb, Catarrhal. GOELICKI, Pectoralis WEDELI, addito interdum in phlegmaticis corporibus momento Tincturæ Antimon. Tartariſ. cum ſpiritu Aniſi paratæ.

§. VIII.

Hæc erat malorum, quibuscum balneum ingreſſi hac tempeſtate conflictari neceſſe habuerunt, congeries, nemini tamen præter moleſtiam aliquid damni adferens, ſed cunctos poſt paucorum dierum ſpatium iterum liberos relinquens, eundemque effectum præſtans, qui alias excretionem cutaneam ſequi ſolet.

§. IX.

Obſeruaui etiam quosdam Podagricos, alias multum ſolatii a balneis Landeccanis reportantes, miſere vexatos. Quum enim, vt dictum eſt, auræ inclementia, & iuſto frigidior, præſertim in montanis, humidiorque athmoſphæræ conſtitutio, non ſolum inſenſibilem transſpirationem admodum turbaret, & conſuetam exanthematum cutaneorum expulſionem vltra modum impediret. Thermalis vero aqua ſubtiliſſimo ſulphure imbuta, nihilominus humores in corpore agitaret, & naturam ad excretionem periphericam ſtimularet: membrorum podagricis inſultibus expoſitorum primo rigiditatem quandam, & ad motus voluntarios ineptitudi-

nem,

nem, indies poſt vſum balnei augmenta capientem, poſtea ipſum morbi acceſſum experti ſunt. Qui tamen neque diu durauit, neque extremum vehementiæ gradum adeptus eſt, ita vt ætate provectior quidam Nobilis, qui proſpero cum ſucceſſu per triginta fere annos iam Thermis noſtris vſus eſt, non vereretur, doloribus ab omni parte nondum ſopitis, & pede adhuc tumente, balneum ingredi, felici, quem ſibi prædixit, euentu, nec adhuc, quum hæc ſcribo, mutato.

§. X.

Inter illuſtriora exempla, mirum Thermarum effectum teſtantia, Sacerdos quidam Niſſenſis quinquagenarius referri meretur. Qui frequenti animi mœrore fractus, ante annum & quod excurrit, moliminibus hæmorrhoidalibus, varias ſub hypochondriis turbas excitantibus, tentatus, a medico autem huius intentionis naturæ ignaro partim internis heroicis, partim externis topicis peruerſe tractatus, febrique deinde acuta, lectulo corpus viribus fere totis ſpoliatum diu ſatis alligante, correptus, extremorum, manuum ſcilicet pedumue vſum propemodum omnem amiſit. Tendines enim, membris motum conciliantes, rigidi erant facti, adeo vt abſque ductoris ope nec incedere, nec manum ori admouere poſſet, manibus pedibusque ſuperne admodum tumidis. Thermis vix per viginti horas frequentatis, aliqualis iam mouendi artus libertas redibat, atque digitos &



Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn821935747/phys_0011 DFG

extendere, & incuruare pro lubitu incipiebat, tumore manuum ſuperno hactenus duriuſculo flaccidiori reddito, & paululum imminuto. Poſt quinquaginta horas balneando completas, facilior euaſit manuum & brachiorum, ac pedum motus, ita vt tiaram capiti detrahere, & iterum imponere, atque baculo nixus, ſolus incedere adſueſceret, indies ampliorem virium reſtaurationem ſentiens. Meis conſiliis freto, præter laxantia & leniora reſoluentia, noxiæ materiæ diſcutiendæ, & eliminandæ adæquata, nihil exhibui aliud. Abſoluta demum centum & quod excurrit horarum cura, priſtinæ, vt mihi conſtat, abitum enim eiusdem non expectaui, reſtitutus ſanitati, diſceſſit.

§. XI.

Alterum non minori attentione dignum, ſequens eſt. Vir quidam itidem quinquagenarius ſtrictiori corporis habitu præditus, cælebs, in iuuentute aëris iniuriis, frigori præſertim ſæpius expoſitus, mutato deinde vitæ genere, perpeſſa antea mala ſentiens, aliquoties febre acuta inflammatoria laborauit. Hac vlterius non reuertente, turbis hypochondriacis, hæmorrhoides eminus reſpicientibus, vexatur, quæ ſemel etiam apertæ ſincerum ſanguinem copioſe fuderunt, poſtea nunquam redeuntes, an medici morbum peruerſe tractantis culpa, vt ex cura mihi relata non obſcure licuit diuinare, an alia de cauſa, penes prudentiores ſit iudicium. Nec ſic malorum ſatis. Motibus enim ſub hypochon-

chondriis & in intimo ventre quodammmodo ſilentibus, pedum tumore quaſi œdematoſo, ſubito interdum oriundo, non quidem vehementer dolente, ſed ſenſum quendam titillantem moleſtiſſimum, aluo obſtructa ſemper auctiorem (Es wäre ihm als ob Ameiſen in der Geſchwulſt lieffen, die ihm auf eine unerträgliche Weiſe kitzelten) exhibente, per interualla redeunte laborat, cui efficacius, calore externo per culcitras pedibus impoſitas excitato, remedium poſt aliquot dies ſudores in affecta parte eliciens, opponere neſciebat. Conſultus deinde, Phænomenon me podagræ prologum habere, reſpondebam. Hoc ægritudinum pondere obrutus Thermas adiit, ſpe fretus, eas ſibi fore ſolatio. Dimidio curæ confecto, pedes intumeſcere ſibi ſentiens, dubius primum hæret, an balneum eſſet ingrediendum? Deinde vero ſuo vſus conſilio, tumorem parum curans, ſed pro conſueto habens, cœptum continuat opus, ſed inexpectato prorſus euentu. Tumor enim augetur, & ad genu flexuram vsque adſcendit, doloribus vehementer lancinantibus cum inſigni ardore ſuperuenientibus. Aduocatus ego audaciam patientis exprobrans, tumorem antea leuem, & magnæ vix conſequentiæ, in album eryſipelas, ſeu phlegmonem (in die weiſe Roſe) ſiniſtro thermarum vſu abiiſſe, nec periculo carere pronuncio. Reſerata igitur per laxantia ſalina primum aluo, quæ quatuor diebus iam obſtructa fuit, externum calorem, ſolte die Beine

ne fein warm halten, &, vt ſe lectulo contineret, ſuadeo, pulueresque ex diaphoreticis fixis, oſtracodermatis, ſalibus mediis & multo nitro paratos porrigo. Loco mixturæ vero diapnoico-reſoluentis, in eiusmodi congeſtionibus probati vſus, mihique familiaris, Aquam ſulphuream ex fonte non procul a templo Nonarum Thermarum ſito, hauſtam, & ratione ingredientium, ſi colorem excipias, ab vnda thermali, nihil diuerſam, copioſe bibere iuſſi, qua poſt aliquot dies effeci, vt aluus non ſolum ſui officii eſſet probe memor, ſed & patiens continuis fere ſudoribus, ſine vlla moleſtia aut virium proſtratione erumpentibus, maderet, inflammatio tumoris cederet, tumor ipſe ſudaret, & poſt nouem dies euaneſceret. Balnei autem vſum, licet reſtitutus eſſet æger, rarum conceſſi, autor e contrario ſuaſorque fui, vt indies tantam, quantam ſine moleſtia poſſet, aquæ ſulphureæ copiam biberet. Laetus, quod reliquum erat curæ, bibendo abſolutum, poſtremo domum rediit.

§. XII.

Ex his ſua ſponte fluere videntur conſectaria: I. Si Thermarum Landeccenſium ſolita operatio, per exanthemata cutanea, ab incongrua tempeſtate impeditur, pro ratione ſubiectorum aut Diarrhœæ, aut Catarrhi, aut Febres oriuntur. II. Aura igitur non fauente tutius, niſi vrgens adſit neceſſitas, Thermarum vſus differtur, atque commodior tempeſtas expectatur. III. Podagri-

dagrici, inſenſibili transſpiratione libere non procedente, a Thermarum vſu facile ipſius paroxismi inſultum experiuntur. IV. Tendinum rigiditati, ab humorum peccantium metaſtaſi ortæ, Thermales aquæ maxime conducunt. V. Cautius vtantur œdematoſis tumoribus obnoxii balneo, ſi rigidior adſit aëris temperies, ne inflammationibus partium corripiantur. VI. Spiſſis humoribus præditis & congeſtionibus ſeroſis vexatis, vt & fœminis Leucophlegmaticis, internus aquarum ſulphurearum Landeccenſium vſus, viſceribus adhuc ſanis, egregie prodeſt.

# OBSERVATIO II.

## D. GOTHOFREDI HENRICI BVRGHART, Medici Wratislauienſis.

*Experimentum, ſalem volatilem plantis denegari non poſſe, probans.*

§. I.

VAria ſunt experimentalis Phyſicæ tentamina, primo intuitu non quidem adeo magni momenti credita, multum tamen, ſi adcuratiori conſiderationi ſubiiciantur, in receſſu habentia. Inter hæc, prudentiorum naturæ ſacerdotum conſenſu, & illa referri merentur, quæ diuerſæ qualitatis *humorum coagulationes* reſpiciunt, & ideo variorum, trium naturæ regnorum,

rum, ſubiectorum coalitioni, productioni, incremento, nutritioni, & quæ ſunt huius generis aliis, multum lucis fœnerantur.

§. II.

Specimina coagulationis, ſæpius in animali regno, cui quaſi propria videtur eſſe, ex *vegetabili* vero petita rarius obcurrunt. Qui deinde in mineralibus demonſtrantur coagulationis modi, quales ſunt: Salium chryſtallifatio; ſulphurum a menſtruis ſolutionem antea peragentibus ſeparatio; Aliaque talia, non niſi admodum improprie ita vocari poſſunt, quum manifeſtius ad præcipitationem referantur.

§. III.

Coagulatio autem eſt: liquidi cuiusdam antea quoad externum adſpectum homogenei & clari, mutatio in ſuccum ſpiſſum & quaſi pultaceum, partim additione alterius corporis diuerſæ naturæ, partim euaporatione aut alteratione partium antea fluidum id conſeruantium excitata. Ita verbi cauſa priori modo coagulatur lac admixto acido, poſteriori albumen oui digeſtione, decoctum cornu cerui, omniaque glutinoſa frigore, vt in gelatinam abeant, vinum diuturnitate temporis, quam poſtremam coagulationis ſpeciem, Lentorem, peculiari vocabulo indigitant.

§. IV.

Ne generali coagulationis hiſtoria Lectorem detineamus, ad experimentum noſtrum propius

pius accedamus, ſequenti modo adminiſtrandum: Recipe bonam SEDI communis, quod in ædium tectis creſcit, portionem, hanc in lapideo mortario contunde, vt prelo, aut alia ratione, omnis ſuccus exprimi poſſit. Succum expreſſum per chartam emporeticam filtra, vt clarus euadat. Coloris eum eſſe dilute flaueſcentis & ſaporis primo ingrate herbacei, poſtea aliquid acredinis linguæ imprimentis, deprehendes. Admiſce deinde SPIRITVS VINI per ſe rectificati æqualem quantitatem, & e veſtigio, omnem Sedi ſuccum coagulatum, candidiſſimamque in pultem conuerſum, adipem ſuillam probe lotam (Schnee-weiſſe pomade) exacte referentem, obſeruabis. Phlegma, poſtea a coagulo ſecedens, filtro ſepara.

§. V.

Notatu maxime digna phænomena huius albæ pultis, aut ſi mauis vnguenti, hæc ſunt: a) Color, vt dictum, albiſſimus eſt. b) Odor ingrate herbaceus, ſpiritum vini admixtum quodammodo prodit. c) Sapor antea paululum acris, nunc, ſi ſpiritus vini veſtigia excipias, fere nullus. d) Conſiſtentia quidem pultacea, ſed admodum tenera, non ſpiſſa. e) Volatilitas ſumma, ita vt eximia coaguli vel vnguenti moles, aperto liberoque aeri credita, paucis horulis in auras abeat, nullo poſt ſe relicto veſtigio. f) Phlegma filtro ſecretum, paululum adhuc flaueſcens, inſipidum fere, non omnibus tamen peregrinis partibus orbatum eſt.

§. VI.

§. VI.

Vſus huius coaguli partim medicus, partim phyſicus eſt. Ad primum quod attinet, vnguentum iſtud vegetabile ad Coſmeticorum claſſem pertinere ſcias, LECTOR, optime namque papulis in facie natis (Venus-Blätterchen, *boutons* a gallis vocatis) aliisque eiusmodi excrementitiis efflorescentiis medetur, ſi vngantur eo, & poſtea fluuiatili aqua, quum vnguentum ſuper cutem exſiccatum fuerit, abluantur. Eundem effectum præſtat cuti, radiis ſolaribus aduſtæ (dem Sonnen Brande) modo, vt dictum, vſurpatum. Phlegma illud vim poſſidet mucum viſcidum pulmones obſidentem reſoluendi, ſi calide cum Saccharocando, Theæ ad inſtar adhibetur, vt experimento huius gratia inſtituto teſtari poſſum.

§. VII.

Phyſicus vero latior ſeſe diffundit vſus. Namque detegit nobis *Plantam ſale quodam acri volatili præditam*, quæ herbarum ſpecies olim plane in dubium vocata eſt, donec B. WEDELIVS peculiari ſcripto gemino, ſalem volatilem plantarum, in *Glaſto* vel *Iſatide ſatiua* deprehenſum, extra controuerſiam poſuerit. Noſtrum tamen, cum venia manium Beati Viri, *præſtantius* iudicamus experimentum, præ inſtituto cum Iſatide, ad demonſtrandam ſalis volatilis plantarum exiſtentiam. Iſatidis enim folia fermentationem, vel potius putrefactionem quandam prius pati debent, antequam ſal volatile

ex

ex eis elici poſſit, ſedum vero e veſtigio id exhibet.

§. VIII.

Ne autem quis obiiciat, præſentem coagulationem, ſalis plantarum volatilitati demonſtrandæ non ſufficere, ſequentia ſcrupulis ſoluendis non inepta probe conſideret, precor. a) Spiritum Vini liquorem eſſe ſalinum medium, magis tamen ad acidorum naturam, quam reliquorum accedentem, & in ſe certam olei (*) maxime rarefacti partem continentem. b) Eundem Vini Spiritum, quantum huc vsque innotuit, cum nullo alio liquore ſalino, ſiue acidus ſit, ſiue alcalicus, isque vel fixus vel volatilis, ſiue medius, coagulari, niſi cum ſpiritu vrinæ, vt offæ HELMONTII præparatio docet.

(*) Oleum Spiritui Vini, tanquam fermentationis producto, ineſſe, ipſius teſtatur flammas concipiendi facilitas, ad eſſentiam eiusdem autem non pertinere demonſtrat iucunda encheireſi Excell. TEICHMEYER *Inſtitut. Chem. Part. II. Cap. III. pag.* 81. qua olei a ſpiritu ſeparationem docet.

§. IX.

His igitur præmiſſis ſequitur, vt a) Succus Sedi antacidæ, aut ſi mauis alcalicæ, (†) & b) non fixæ ſed volatilis naturæ ſit; c) Oleum deinde in vini ſpiritu communi contentum, beneficio potentiarum ſalinarum acidiuſcularum phlegmati inuiſibili modo per omnia iunctum, ramentis ſalinis tam ſpiritus quam ſucci, in ſal medium coaleſcentibus, præcipitetur, & cum

ſale

ſale nouiter facto medio in coagulum ſaponaceum redactum ſub vnguenti forma adpareat.

(†) Salia alcalia vere talia, præſertim fixa, raram eſſe in vegetabili regno, ante incinerationem, auem, imo ante ignis torturam demonſtrari vix poſſe, exercitatiſſimi chemicorum teſtantur Vid. NEVMANNI tractatum *de ſalibus alcalino-fixis* Berolin. 1727. 4to excuſ Paralogiſmum itaque ſapere videtur: Id omne, quod acidis contrarium reperitur, aut cum eis efferueſcit, alcalicæ eſſe proſapiæ.

§. X.

Accedit ipſa coaguli Volatilitas, (§. V. e.) Camphoræ non adeo diſſimilis, niſi quod multo fugacior adhuc exiſtat, maius ſententiæ pondus addens: *Quod Sedum*, ſcilicet, *in ſe contineat ſalem maxime volatilem, vrinoſo, præ cæteris, ſimilem. Q. E. D.*

§. XI.

Si liberet cruda, in corporibus inſtituta ſimpliciter mixtis, experimenta, ad viua id eſt animalia adplicare, forte præſens coagulationis tentamen non incongruum eſſet, variis phænomenis nutritionem animalium ſpectantibus explicandis: Quo modo nempe vegetabilium ſucci, poſt varias in corpore viuo alterationes, & ſecretiones volatilium ſalium naturam induant, acidisque aliis humoribus admixtis in vnctuoſam, glutinoſam, gelatinoſam, & ideo augmentationi fibrarum aptam ſubſtantiam abeant. Sed miſſa libenter hæc facimus, Phyſiologorum magis ſedulæ inquiſitioni relinquenda.

OBSER-

# OBSERVATIO III.

## *Dolores Rheumatici Diarrhoea ſoluti.*

VIginti quinque annorum femina, plethorica, probe menſtruata, venæſectionem æquinoctialem licet in pede adminiſtraſſet, tempeſtate tamen vernali maxime inconſtanti, tolerabili Hemicrania ſiniſtri lateris primo corripitur in moleſtam poſtea adontalgiam verſa. Hanc excepit genæ cum aliquo calore coniunctus tumor, initio pro Eryſipelate habitus. Quum vero vltra quatuordecim dies duraret, diuturnitatis morbi pertæſa, puluerem demum oculis cancrorum, antimonio diaphoretico, & nitro ſudoris eliciendi gratia adſumſit. Diaphoreſi autem hunc ex voto non ſequente, liquorem deinde ſudoriferum ex mixtura ſimplici, eſſentia Pimpinel. alb. & Succini paratum aliquoties in vſum vocat, ſed fruſtra, nec enim illo ſudorem elicere potuit, ſed loco eiusdem, tumore quidem quodammodo ſubſidente, intolerabiles oriuntur in gena affecta dolores lancinantes, ad collum vsque & axillam ſeſe extendentes, exactos paroxiſmos formantes incipiendo ſcilicet verſus veſperam, leui prægreſſo horrore, poſtea æſtu vehementi ſuperueniente, ad mediam vsque noctem furendo. Aduocati, adfectu pro Rheumate, ſtipato motibus febrilibus, declarato, exhibuimus Mix-

turam diapnoico - reſoluentem, ex Eſſ. Pimpin. alb. Ari, Mixt. ſimpl. ſpiritu nitri dulcificat. compoſitam ſæpius, ſed refractis doſibus ſumendam, & pulueres Corall. rubr. ſpec. de Hyacinth. antimon. diaph. pulu. antiſpasmod. Halenſ. conſtantes, vno vel altero grano Extract. Cort. Cascaril. MP. de Cynogl. maritatos, verſus paroxiſmi acceſſum degluttiendos. Quia vero hoc modo, per aliquot dies quamuis continuato, notabilia transſpirationis augmenta, ex intentione noſtra non conſequuti ſumus, paroxismis quidem breuioribus quodammodo euadentibus, patiens autem, etiam lachrymis dolorum mitigationem efflagitaret, externe linteamina ſpiritu vino large camphorato & crocato tincta, & fortiter iterum expreſſa, calide loco dolenti adplicare, eisque ſacculos ſiccos itidem calidos flor. Chamomil. Tiliæ, Hb. Saluiæ aliisque talibus reſoluentibus. & diſcutientibus, camphora maritatis, repletos imponere iubemus, interne præter iam recenſita, Eſſ. Pimpin. alb. Cort. Cascaril. & liquor. anodyn. mineral. Hoffman. præſcripſimus, qua per ſeptimanam continuata methodo, patiens ſanitati videbatur reſtituta. Quum vero vlla ſenſibilior excretio, neque per vrinam, vt plurimum aquoſam, neque per aluum ſatis omni morbi decurſu pigram, neque habitum cutis poroſum, hactenus adparere renuerit, ſalis anglicani vnciam exhibuimus, vt omnem malo anſam

recru-

recrudeſcendi præcideremus, quo ſumto quater cum euphoria aluum laxauit. Die poſt purgationem ſequente, ſe optime habens, omnique dolore libera, morbum plene ſuperaſſe firmiter credidit, ſed falſo, halcyonia tantum erant, nam nocte proxima, quæ altera fuit a morbi ſolutione, ſubitaneis abdominis doloribus, iisque vehementiſſimis corripitur, & moleſta ſatis diarrhoea vexari incipit, ita vt ſancte teſtata ſit: ſe intra duarum dierum ſpatium, plus quam quinquagies aluum depoſuiſſe, nec comprehendere poſſe, quonam in angulo tanta muci, & biliosæ atque fœtidiſſimæ materiæ copia latuerit. Quia vero hæc excretio nobis admodum vtilis videbatur, & quaſi critica, nil niſi decoctum ex herbis & ſeminibus carminatiuis paratum, cum Nitro depurato, & eſſentia Cort. cascaril nec non ſyrupo Flor. Aurantior. mixtum, calide interdum ſorbendum ſuaſimus. Cuius vſu ſedulo, & dolores ex voto compeſcebantur, & Diarrhœa remiſit, ægra optime poſthac valente.

## SCHOLION.

Vix morbus datur, quem magis inexpectatæ, & a loco adfecto remotiores excretiones ſoluere ſolent, quam dolores Rheumatici. Hic natura feri cuiusdam ſpiſſi attenuationem, transpreſſionem, & forſan eliminationem in gena tentabat, loco ante aliquot

annos abſceſſu (poſt diuturnam odontalgiam orto, & propter peruerſam medendi methodum tunc in carcinoma, vltra octodecim menſes, mox pus, mox ichorem fundens, propemodum degenerato, demum feliciter ſanato) illuſtri, vt adeo patiens intumeſcente ſiniſtro vultus latere, hocque timore diu ſatis durante, metu, certe non omni ex parte vano, agitaretur, fabulamque olim oppido ſibi ingratam, iterum ſe luſuram crederet. Qua de cauſa etiam, malum prima quod dicunt herba ſuffocare tentauit, ſed methodo nimis præcipitata. Congeſtiones enim Rheumaticæ, feſtinatam medicationem, quæ imprimis turbulentior eſſe ſolet, nimiumque ſpiſſeſcentes humores agitat, admodum ægre ferunt, ſed diuturnam, placida reſolutione & eliminatione ſubuenientem requirunt, primario ſi natura propter ſtrictiorem habitum cutis poroſum, ſudoribus expellendis impar, vt præſens caſus docet, vel exiſtat, vel obſtinate eos formidet, ſed forſitan potius inflammationem & abſceſſum, tanquam depletionem ipſi non adeo inconſuetam intendat; Quare interna reſoluentia leniora, tonica, innocentia anodyna, & externa diſcutientia, laudabilem quidem præſtiterunt effectum, ſed medicum rem ex merito penitius conſiderantem de conſtanti valetudine recuperata ſecurum reddere non potuerunt, quia Rheumatici dolores absque vlla ſenſibili excretione, qualis

qualis

qualis demum ſit, ſopiti, raro finiuntur, ſed priori tanquam maxime opportuna occaſione arrepta, reuerti, & crudelius quam antea fuere ſolent. Datum igitur eſt optimo conſilio Sal Anglicanum, omnibus motibus ſpaſticis actiuis conuenientiſſimum & nunquam ſatis deprædicandum laxans, quod hic loci etiam egregie ſeſe gerens, naturam, ad materiam peccantem, quamuis rara, haud inconueniente tamen metaſtaſi, aliorſum deriuandam, & extra corporis limites pellendam, commode inuitauit. Male ergo Diarrhœa, occaſione laxantis ab ipſius naturæ autocratia omnino excitata, ab imperito, & motuum laudabilium ignaro, pro hypercatharſi eſſet habita, quia, ſi liberum quis ſucceſſum adſtringentibus impedire tentaſſet, ægram certo certius in grauiora mala, ſi non inteſtinorum inflammationem, ſphacelum & ipſam mortem, præcipitem dediſſet, vt adeo mirum non ſit, conſilium medici longe aliis fundamentis nitens, ex voto ſucceſſiſſe. Mercari cautius itaque practici, motusque præternaturales actiuos & laudabiles, a mere paſſiuis & noxiis probe diſcernere diſcant, ne experimenta per mortes faciant, ſuæque famæ, & conſcientiæ maculam adfricent. Quæ poſtremo ex præſenti caſu, more noſtro, deducimus conſectaria, ſunt ſequentia: I.) Congeſtiones feroſæ præcipiti medendi methodo adhibitæ, in ſubiectis ſenſibilioribus, ſpiſſoque cruore prædi-

tis, facile in dolores Rheumaticos vertuntur. II.) Motus febriles Rheumati iuncti, reſolutionem materiæ peccantis pro ſcopo quidem habent, ſed raro fini adſequendo pares ſunt. III.) Doloribus rheumaticis, tonicis & anodyninis, nulla ſimul concurrente excretione ſenſibili, ſopitis, tuto non fidendum. IV.) Anodyna in doloribus rheumaticis prudenter adplicata, ſufficientem præſtiterunt opem, ſi amneſtiam tantum temporalem effecerint, & tantam quidem, quanta ad materiæ peccantis expulſionem requiritur. V.) Adhibenda igitur anodyna, non alio niſi temporis, quo fieri poſſunt, quæ debeant, lucrandi fine. VI.) Rheumaticæ congeſtiones facile loca occupant olim excretioni cuidam, eique diuturniori, familiaria. VII.) Rheumati ſi diarrhœa ſuperuenit, bonum. COLLECTORES.

# OBSERVATIO IV.

## D. CAROLI WILHELMI SACHS, Medici Wratislavienſis.

## *Decas Obſeruationum*,

Collectoribus, cum voto omnigenæ proſperitatis transmiſſa.

### a) *Muſca toto corpore animalculis minimis conſperſa.*

LUmen illud Helmſtadienſe, celeberrimus nempe LAVR. HEISTERVS *Act. Phyſ. Med.*

*Med. NAT. CVRIOS. Vol. I.* (quod Norimberg. 1727. 4to. prodiit) *Obſ. CLXXXVI. pag. 409. ſeq.* egit de pediculis, ſiue pulicibus muſcarum; Nimirum obſeruauit in muſca feneſtræ adſidente animalcula minima, quæ poſtea oculis armatis vlterius examinauit, eorundemque figuram cum curioſis deinde communicauit. Et meam hac de re adducere poſſum experientiam. Anno ſcilicet 1736. medio æſtatis vidi ex improuiſo ad occluſas feneſtras aduolantem muſcam, albis ſub alis punctis totum corpus ambientibus notatam, captam deinde, curioſior redditus, oculis & quidem tantum nudis accuratius perluſtraui, & ecce, quod nunquam hactenus videre contigit, animalcula inuenio parua ſurſum deorſumue ſeſe mouentia, coloris albi, at in aliqualem flauedinem degenerantis, vt materia puris colorata eſſe ſolet. Multas poſtea capere ſtudi, & diligentiſſime eas perluſtraui, in cunctis autem neque hæc, neque alia animalcula vidi, hinc concludo; pro morbo aliquo, vt in hominibus Phthiriaſis hiſce in animalculis habendam eſſe talem colluuiem animalculorum.

b) *Barba creſcens poſt mortem.*

Amorem parentum erga liberos ſæpius ſingularem eſſe, experientia quotidiana demonſtrat, qua ex re de his omnino dicendum, quod VIRGILIVS de ASCANIO Aeneæ ex Creuſa filio ſcribit:

*Omnis in ASCANIO chari ſtat cura Parentis.*

Hinc non mirum amorem parentum & poſt fata prolis adhuc viuere, ſemper enim huius iam dudum menti profunde impreſſæ imagines, ante oculos obuerſantur. Quod probat ciuitatis cuiusdam Sileſiæ noſtræ Paterfamilias vnicum habens filium, quem vehementer amabat. Mortuo hinc filio trigeſimum & quod excurrit annum iam agente, pater dies noctesque præter filium nil aliud cogitabat, nec cogitationes ſepulti filii tumulo incluſit, ſed neſcio qua cupiditate filium ſemel adhuc videndi flagrauit, hinc adpetitui reſiſtendo impar curabat, vt loculus in crypta ſtans poſt vnius menſis ſpatium aperiretur. At, en! vt ad rhombum veniam, horrendum adſpectum filius præbuit patri, color enim ſeſe mutauerat in luridum & cachectica quaſi adparebat fronte, *Barba* erat *prolixa longaque*, licet poſt mortem manu tonſoris nouacula fuerit abraſa. Suo autem maxime damno hæc conſiderabat nimio amore imbutus parens, quippe perterritus tam horrendo extincti adſpectu, in febrem ardentem incidebat, & multa in corpore paſſus, tandem longinquum poſt temporis interuallum priſtinæ fuit redditus ſanitati. Hac occaſione facile poſſem verba facere de barbis, eaque variis quæ dicta ſunt in autoribus breuiſſime repetere; Nimirum vnde defectus barbæ in

femi-

feminis & pueris? vnde generationis cauſa in viris deducenda? poſſem quoque exempla adducere feminarum puerorumque atque puellarum barba inſtructarum, virorum imberbium, & e contrario longam ad miraculum barbam habentium, quibus imprimis FRANCISCVS HOFERVS, ciuis quondam & alutarius Wratislauienſis, barbam tantæ prolixitatis alens, vt pedes attingeret, merito adnumerandus eſt, vt epithaphium in templo. S. BARBARAE hic Wratislauiæ teſtatur. Porro poſſem inquirere in cauſam, cur poſt mortem, in homine crines & barbæ & capitis, item & vngues creſcant? Sed nolo crambem ſæpius iam adpoſitam, recoctam præbere.

c) *Pica Grauida.*

Pica grauidas nonnunquam laborare notum eſt, huiusque mira experientiæ exempla adducunt fide digniſſimi obſeruationum medicarum collectores prorſus multa, imo ſtupenda, cauſasque vt & curationem huius mali addunt nonnulli (*). Quæ omnia quaſi



(*) Paucis forte ignota eſſe poteſt Regis cuiusdam noſtri ſeculi ſapientiſſimi Sereniſſima Coniux, tanta, cum vterum gerit, voluptate cancros fluuiatiles viuos ab exuuiis ſeu teſtis tantum liberatos degluttiens, vt infallibile habeat inde ſignum grauiditatis. Alia nobis nota eſt femina nobilis, eodem modo fimbrias arte factas (die geklöppelten Spitzen)

ſi in compendio exhibet diſſertatio; *De appetitu erroneo, quem vulgo Picam vocant* AVG. QVIR. RIVINO Præſide habita a WOLF. HENR. SCHREY. Lipſ. 1719, ad quam legendam L. B. ablegamus. Noſtrum enim nunc eſt, ex promiſſo recenſere quoque exemplum. Femina temperamenti ſanguineo-Melancholici, aliquoties iam mater facta, iterum fit grauida; varia patitur dum vterum fert ſymptomata, ante ignota, quibus omnino adnumerandam eſſe ſingularem cupiditatem, *fagopyrum* non coctum (vulgo rohe Heyde-Grütz-Graupe) edendi, ſummo cum adpetitu, cenſeo. Lambebat autem quotidie hunc cibum crudum, ex vola manus, cui ſæpe pauxillam quantitatem inſperſit. Et quoniam acidum in ventriculo moleſtum ſentiebat, hic cibus medicamenti loco erat abſorbentis. Aluum alias apertum ſemper obſeruabat noſtra grauida. In conſuetudinem inde abiit adeo hic adpetitus, vt enixa legitimo tempore fœtum, & mater porro crudum fagopyrum libenter manducaret, &, quod curioſum eſt, filius ex hoc partu natus adhuc quoque delectetur prædicto cibo crudo.

d) *Sce-*

tzen) & alia plebeia, arenam ex præterfluente riuulo collectam, ſummo cum adpetitu deuorans. COLLECTORES.

d) *Sceleton vegetabile, foliorum quæ Alkekengi baccam includunt, a natura factum.*

Et Tyroni Medicinæ quid ſceleton ſit ex Anatomicis notum eſſe, quis eſt qui dubitat? Conſtat enim id oſſibus cuiusdam corporis animalis ſecundum ordinem & connexionem naturalem iterum artificialiter diſpoſitis & coniunctis. Quod autem in corporibus animalium ſunt oſſa, hoc in plantarum foliis ſunt filamentorum minimæ ramificationes, quæ, vt illa corpus firmant, & partes molliores defendunt, fulciuntque, ſecundum infinita omnium plantarum genera ſuccum nutricium adducunt, folia ipſa firmant, & lympham propellere, donec flaccida reddantur folia, haud deſinunt. Artificioſa manus iam dudum curauit nudas oſtendere haſce ramificationes filamentorum in foliis, qua in re aptiſſimus & maxime exercitatus erat meus, dum viuerem Ienæ, præceptor ad cineres vsque deuenerandus, ſummus ille TEICHMEYERVS, ſæpius oſtendens talia ſceleta plantarum ex foliis, chartis nigris affixa, vt eo formoſius & adcuratius ſeſe præberent adſpectui. Poſtea ipſe curioſior redditus, magna, quæ profecto ad eiusmodi opera requiritur, patientia, penitius in ipſum artificium inquiſiui. A labore autem abſtinui poſtea cum viderem naturam ipſam in autumno eiusmodi ſcele-

ſceleta ex improuiſo mihi offerre, multa enim folia inueni carne, quæ exſiccata fuit, deinde ſeſe ſeparauit, priuata, nudas tantum ramificationes filamentorum relictas oſtendentia, ita vt natura ſæpius omne artificium ſuperaret. Multa etiam folia rodente fortaſſis erucarum ore ita exeſa eſſe, & in ſceleta mutata, variam ob cauſam mihi videtur probabile. Inueni & poſtea, quod iucundum ſane ſpectaculum erat, fructum Halicacabi ſiue Alkekengi (Juden-Kirſchen) adhuc incluſum folliculo (qui, dum ſucco adhuc plenus eſt, rubet) a natura ita paratum, vt carne conſumta, filamenta tantum neruea ſupereſſent, & hic quaſi per rete fuſcum in conſpectum veniret bacca adhuc extans in medio illæſa. Diu adſeruatum inſigne naturæ opus amico demum petenti libenter conceſſi.

e) *Lilium multiflorum Wratislauienſe.*

CHR. FR. PAVLINI *Obſeru. Medico-Phyſ. Cent. I. Obſ. IX.* exhibet lilium rariſſimum in cuius foliis verbum græcum literis maiuſculis ſcriptum PAN, legere licuit. Wratislauia noſtra Lilium quoque rarum anno præterlapſo in horto quodam exhibuit, floribus conſtans 102.; Cum vero hunc florem deſcribendum delineandumque Dni COLLECTORES *Specim. II. Satyr.* curauerint, multa de eo verba facere nolo; tantum hoc addam; floruiſſe ſcilicet tale lilium olim in horto quodam Francofurtenſi ad Moenum, flores 122.

ex vno bulbo natos monſtrans, quod depictum exhibet *Florilegium* editum ex officina BRYANA 1626. fol. (*)

f) *Lactis imminutio Camphoræ falſo adſcripta.*

Noſtrates femellæ vt plurimum plebeiæ camphoram ſacculo incluſam, ſcapulis vel mammis applicatam lactis fluxum minuere contendunt; idque multo magis præſtare interne aſſumtam, vel naribus admotam. Tali opinione capta ad me veniebat femina ruſtica, paruulo gaudens infante, cui adhuc vbera præbere lacte turgida neceſſe habebat, & referens: ſe ante quatuor dies, poſtquam coenaſſet, ira valde excanduiſſe, iamque eximium ſentire dolorem, circa regionem ventriculi, ſummam adeſſe artuum laſſitudinem, & cephalalgiam immodicam, hinc conſilium efflagitabat & medicamenta poſcebat. Commendaui petenti præter infuſum herbæ Veronicæ & Eſſentiam Alexiph. STAHLII, Spiritu Nitri dulci, Mixtura ſimpl. conſtantem, etiam puluceres antiſpasmodicos cum Camphoræ quantitate pauciſſima, ac Nitro mixtos; interim

(*) Lilia eiusmodi polyanthea aliquoties in Sileſia noſtra viſa, vt exotica taceamus, multis in locis deſcripta, & depicta ſiſtunt Die Breßlauer Sammlungen *Menſ. Iun.* 1719. *Claſſ. IV Artic. VI p.* 716. item *Menſ. Iul.* 1720. *Claſſ. IV. Art. VII. pag.* 88. & alibi. COLLECTORES.

terim dum inter puluerum præparationem quærerem: an Camphoram ferre, vel ſumere poſſet? dicebat, ſe quidem eam non auerſari, ſed audiuiſſe, quod Camphora lactis adfluxum imminueret, reſponſo accepto, omnis eram in eo, vt mulierculæ demonſtrarem, vanam eſſe hanc opinionem. Triduo peracto ad me iterum acedens retulit, ſe quidem melius habere, at poſt aliquot puluerum camphoratorum vſum obſeruaſſe ſecretionem lactis egregie & notabili modo imminutam, vt coacta fuerit reliquos pulueres ſeponere; quo facto Lac rediiſſe teſtabatur. Aſt quanta imaginationis vis, quæ ſæpius in cauſa eſt, vt inde varii proueniant effectus, qua de re diſſerere inque cauſas eius inquirere noſtrum hic non eſt. Præſens vero Lactis imminuta ſecretio iræ prægreſſæ tribuenda nobis videtur meliori forte iure, quam camphoræ.

g) *Pili prælongi Pudendorum muliebrium.*

Varias de Crinibus extare obſeruationes, variosque horum affectus eſſe, conſtat ex Medicorum ſcriptis. Pudenda vtriusque ſexus pilis condecorata ſunt a Numine diuino, quid mirum quod & hoc in loco vitiis ſæpius laborent. Multa hinc notatu digna reperiuntur in libellis iam memoratis, de pube vel crinibus in locis obſcœnis. Plicam (vitium illud primarium in vicina noſtra Sarma-

tia

tia oppido frequens, & inuiſcatione quaſi vel conglutinatione, aut complicatione & intricatione pilorum natum) etiam proueniſſe in pudendis ex *Collectan. Wratislau. A. 1718. Menſ. Octobr. p. 1755.* memorat *Diſſertatio; De Plica* habita Erfordiæ 1724. Præſ. HIER. LVDOLFF, Reſpond. MICH. LVTTCKE. Et hanc eodem loco extitiſſe, pudendis nempe muliebribus, *Ephem. NAT. CVRIOS. Dec. I. Ao. III. Obſ. CCXX.* & *Dec. II. Ao. V. Append. pag. 10.* teſtantur. Porro alia quoque pilorum in pudendis vitia reperiuntur paſſim annotata, quibus nimirum & illud annumerandum, quando luxuriant in Genitalibus, cuius rei GARMANNVS *Mirac. mort. pag. 48 §. 73.* adducit teſtimonium. Anatomicum etiam Theatrum Academiæ, quæ Lugduni Batauorum floret, in *capſula maxima Lit. L ſignata*, cuſtodit inter alia, vt cuilibet illuc morato notum eſt, & ex *Catalogo rerum memorabilium huius Theatri* a FRANC. SCHVYL. 1730. 4to edito apparet. Hinc concludere licet, adducti phænomeni parallela extare exempla, etſi tam nota non ſint, quoniam ſilentio & veſtimentis teguntur. Ex relatione tamen mulieris cuiusdam, cui fides deneganda non eſt, certo mihi conſtat, hic loci fuiſſe feminam honeſtam & pudicam, ex ciuium vxorum concione, quæ tanta prolixitate & longitudine pilorum in pudendis fuerat donata, vt, ne pedibus inter eundum incommodo eſſent, aut infra extremam togæ oram conſpiceren-

cerentur eosdem circum circa abdomen voluere deberet.

h) ἐυπόϱιϛον *in Tumoribus Hernioſis.*

GALENVM & DIOSCORIDEM integros libellos ſcripſiſſe περὶ ἐυποϱίϛων rei litterariæ medicæ cultoribus non ignotum puto: Non ſemper tamen talia remedia ſpei reſpondere, triſtis experientia proh dolor! ſatis loquitur, eaque magis optanda eſſe, quam vere exiſtere credo. Exemplum, vt alia morborum innumera genera taceam præbet Hernia. Quot non extant quæſo! ſpecifica ad hunc affectum ab autoribus commendata? parum autem vel nihil ad optatum effectum conferentia; interim ſequens medicamentum tanquam ἐυπόϱιϛον in tumoribus hernioſis expertus ſum, nempe dum cruciatus, dolores, imo & incipiens jam inflammatio, propter inteſtinorum canales in ſcrotum prolapſos oborta, quam vomitus aliaque periculoſa ſymptomata excipiebant, miſere patientem afficerent; accepi, poſthabito ab aliis vehementer commendato filorum lineorum nondum ablutorum (einen ungewaſchenen Strehn Leinen-Garn) & aqua coctorum, & poſt expreſſionem calide adplicandorum volumine, *Placentas Lini* (Lein-Kuchen) (quæ nil aliud eſſe, ſcias Lector, quam furfur vel reliquias poſt expreſſum ex lini ſemine oleum, intra prelum ſuperſtites, & in formam diſci vel placentæ coactas) in pulue-

rem

rem redactas, cum lacte coctas, & poſtea calide incluſas ſacculo, ita vt patiens commode ferre poſſit, tumori impoſitas. Hoc vile quamuis remedium, ſemper, & haud raro poſt pauca momenta, exoptatum præbuit auxilium.

i) *Obſtructio vel ſiccitas narium periodice recurrens.*

Femina quædam iam a longinquo, tam Autumno, quam verno tempore, vexari ſolet vehementibus ſatis capitis doloribus, quibus admodum moleſta, imo ſumma, narium coniuncta eſt obſtructio vel ſiccitas, ſymptoma quouis anno certo certius ſuam ludens fabulam. Menſibus intercalaribus, licet quotidie duo fere muccinia muco implere cogatur, ex naribus ſtillante; eo tamen, de quo loquimur, tempore, maxima ſentitur, ad aliquot ſeptimanas durans, obſtructio vel ſiccitas, quæ neque purgatione corporis, neque lacte, in quo maiorana & ſemen nigellæ cocta ſunt, attracto, neque eodem, cum butyro non ſalito, maritato, neque aqua maioranæ ſimili modo vſurpata, neque lacte calido cum flor. Sambuc. Chamomil. &c. cocto, ipſoque Siphonis ope naribus inſtillato, neque butyro externa regione narium illita cedere voluit. Hinc cum iam rebus ſic ſtantibus meditarer remedium, a B. WEDELIO *Amœnit. Mat. Med. pag. m. 452.* commendatum, nempe; Rec. *Aq. Ma-*

*ioran. Vnc. dimid. Vitriol. alb. gran. duo: Elaterii. gran. vnum.* S. Waſſer in die verſtopffte Naſe zu ziehen, in vſum vocare, ſponte ſua ſe ab hoc malo liberatam ſentit ægra.

k) *Lipothymia ex preſſione ventriculi.*

Ventriculum multorum malorum ſedem eſſe quotidianæ ægrotantium abunde docent querelæ, minima namque interdum cauſa ſtomachum reddere valet morboſum. Et quid porro efficere poſſint preſſiones parietum neruoſorum ventriculi, ſatis ſuperque quotidiana monſtrat experientia. Quorſum pertinet ſequens obſeruatio. Prandio finito, calida quadam æſtatis anni præterlapſi die, ſomnum capiebat languidus calore redditus ſenex, in ſella ſedens, & ſic ſui ipſius neſcius manus inter ſe concluſas forte fortuna regioni ventriculi imponebat, quibus vehementer ſaccum illum nerueum preſſit. Sic per temporis aliquod ſpatium dormiens, deinde expergefactus in grauiſſimam incidit lipothymiam, poſt multum demum remediorum vſum, adfectui debellando & profligando aptorum, iterum euaneſcentem.

OBSER-

# OBSERVATIO V.

## D. IOHANNIS ANTONII SCRINCI, (*)

Medici & Phyſici iurati Circuli Boleslauienſis in Bohemiæ Regno.

*Relatio, de Morbo Spasmodico in Regno Bohemiæ multum graſſante.*

Von der Böhmſchen Kriebel-Kranckheit.

Hiſtoria morbi ſpasmodici, Bohemiæ partem, ab initio Menſis Septembris Anno 1736. vsque ad diem 16. Martii anni præſentis, grauiter infeſtantis, apud Bohemos noui plane atque inauditi; quo in Dynaſtiis præſer-



(*) Nupero *Satyrarum noſtrarum ſpecimine IIItio* ſcilicet Hiſtoriam Morbi Spaſtici Sileſiam longe lateque vexantis inſertam curioſis exhibuimus, iam quid vicini Bohemiæ Regni Medicus Celeberrimus SCRINCI, circa horrendum hoc morbi genus obſeruauit, atque ratiocinatus eſt, Lectoribus ob oculos propter materiæ adfinitatem, ponere curamus. Debemus autem Relationis nobis certe gratiſſimæ benignam communicationem Perilluſtri Dno. de GROSSA, Excell. Comitis de SCHOENAICH, Dynaſtæ in Carolath & Beuthen, Deputato ad Conuentus publicos &c. Noſtrarum ſatyrarum FAVTORI non poſtremo. Cui & quas poſſumus, gratias publice maximas agimus, atque nos, noſtrosque porro conatus commendatos habere cupimus.

tim HARDEGGIANIS, quibus nomen eſt WARTENBERG & NIEMES, vltra DC homines vtriusque ſexus, iique non vnius ætatis miſere vexantur.

Germanico Idiomate conſcripſit D. I. A. SCRINCVS &c. in latinum vertit ***. (†)

Iuſſu Illuſtriſſ. COMITIS, & Perilluſtris Circuli Boleslauienſis DIRECTORIS totis ſex diebus, ab VIII. Martii die ad XIII. eiusdem Menſis A. 1737. pagos tredecim Dynaſtiarum HARDEGGIANARVM, WARTENBERG & NIEMES, adiutus opera Chirurgorum Illuſtriſſ. Comitis, luſtraui. Omne ſtudium adhibui, vt meo facerem ſatis officio, nulla huius rei difficultate territus. Dici non poteſt miſerrima tot hominum pauperculorum, quam me afflixit conditio. Nullam certe domum præterii, in quo æger aliquis decumberet, in pagis maxime Niemeſienſibus, vbi numerus ægrotantium maior. Piſtrinas & Molendina diligenter inuiſi; quo factum, vt 500. homines numerauerim, omnes vno eodemque morbo laborantes. Penſitatis igitur adcurate phænomenis,

(†) Quum primaria noſtra lex ſit, Satyrarum voluminibus alia non inſerenda eſſe ſcripta, niſi latine exarata, præſentis relationis compendium latii veſte indutum exhibere in ſe ſuſcepit Medicus quidam Vrbis Eruditiſſimus Dnus. D. S - - - . Ne autem ipſius AVTORIS verba Lectorem plane fugiant, loca præcipua in notulis Germanice inſerta inueniuntur.

menis, veram morbi cauſam, & illam quidem certiſſimam indicabo. Quæ futura ſit morbi facies, quæque pharmaca ei debellando maxime profuerint, ſtudioſe obſeruabo, binis quibusuis hebdomadibus præterlapſis, cum iis, quorum hæc ſcire intereſt, annotata fideliter communicaturus.

Conqueruntur omnes, qui vel ingruere morbum animaduertunt (*) de moleſta in manibus

(*) Erſtlich was die Kranckheit ſelbſt anlanget: So beklagen ſich in Summa alle mit einander, die nur ein wenig dieſe Kranckheit verſpühren, daß ſie ein Grübeln in Händen und Füſſen verſpühren, welches ihnen ſo vorkommet, als wann lauter Ameiſen den Krancken über den Leib lauffen thäten, als wann etwas kriechendes und geſchwind lauffendes denenſelben über den gantzen Leib krappelte, und gemeiniglich fängt es von den Füſſen an, kommet ihnen in Magen, wo viele einen entſetzlichen Magen-Krampff bekommen, hernach in die Hände und Füſſe, und endlich in den Kopff; Was die Kranckheit in Händen und Füſſen anlanget, ſo ſpühren die armen Siechen in denſelben ein grauſames Ziehen, welches gantz erſchrecklich bey allen und jeden anzuſehen, dann wann es in Händen und Füſſen zu grübeln anfänget, ſo folget bey den allermehreſten, ſehr wenig ausgenommen, eine entſetzliche Zuſammenziehung der Finger

nibus pedibusue titillatione, quæ eum doloris ſenſum referat, qui formicis corpus perreptantibus ſentitur. Is a pedibus incipit vt plurimum; deinde ventriculus male ſe habet, quem grauiſſima torquet cardialgia. Hinc ad manus

*l' ouverture eſt diviſée en cinq parties egales, taillées en arcade gothique. Cette fleur eſt bleu-pale, tirant ſur le gris-de-perle, mais trois de ſes decoupures ſont traverſées dans leur longueur par deux bandes rouges ſang-de-boeuf, ſur un fond purpurin fort clair. De bords interieurs du tuyau, naiſſent cinq etamines blanches, recourbées en crochet, chargées chacune d' un ſommet jaunatre. Le calice eſt presque auſſi long que la fleur, & decoupé en cinq parties juſques vers le bas leſquelles n' ont qu' environ deux lignes de large, pointuës, vert-pale, heriſſées de poils fort gros. Le piſtile pouſſe du fond de ce calice, formé par 4. embryons arrondis & verdâtres, du milieu deſquels ſort un filet preſque auſſi long que la fleur, legerement velu, purpurin & fourchu. Les graines, quoique peu avancées, etoient aſſez ſemblable a celles d' une vipere. La fleur n' a point d' odeur. Les feuilles ont un gout d' herbe aſſez agreable.* Alteram vero laudatus AVTOR ſic depingit: *Les chemins y* (non procul ſcilicet a *Chatac*, pago prope fines regni Perſici ſito) *ſont bordez de cette belle eſpece d' ECHIVM a fleur rouge, que CLVSIVS, le plus grand obſervateur de Plantes de ſon temps, avoit decouverte en Hongrie. Les tiges naiſſent trois ou quatre enſemble, hautes d' un pied & demi ou deux, epaiſſes de trois lignes, vert-pale, piquées de rouge brun, caſſantes, heriſſées de poils blancs, garnies de feuilles longues de demi pied & larges ſeulement de demi pouce, de la même couleur & tiſſure que celle de l' Echium commun, mais beaucoup plus heriſſées des deux côtez. Elles*

 *dimi-*

*diminuent jusques en haut; & de leur aiſſelles pres que depuis la moitié de la tige juſques a l' extremité naiſſent des brins longs d' un pouce & demi courbez en queue de Scorpion, ſur lesquelles s' appuyent deux rangs de fleurs hautes de 8. ou 9. lignes, retrecies en maniere du tuyau recourbé, evasé & decoupé en cinq parties arrondies, dont les inferieures ſont plus courtes que la ſuperieure. Ces fleurs ſont rouges couleur de Garence & ſans feu. Les etamines, qui debordent de trois cotez, ſont un peu plut eclatantes, mais leur ſommets ſont foncez. Le calice & d' environ demi pouce, decoupé en cinq parties fort etroites & fort veluës. Le piſtile eſt a 4. embryons, lesquels dans la ſuite deviennent autant de graines longues d' une ligne & demi, brunes, de la figure de la tete d' une Vipere.* In vtroque vero notes velim, FAVTOR AESTVMANDE, ſemina viperinis capitibus exacte ſimilia, notam quaſi characteriſticam ECHII, ab antiquis Botanicis allegatam. Sed ſatis de ANATOLII loco dictum puto, ad alia progrediar.

Me Profeſſorem quendam olim PRVDENTIVM Poetam veterem chriſtianum explicantem, & ad eiusdem verba: (ff)

*Illic purpureis tecta roſariis*
*Omnis fragrat humus CALTHAQVE pinguia*
*Et molles violas, & tenues crocos*
*Fundit fonticulis vnda fugacibus.*

audi-

(ff) *Cathemer. Hymn. V. verſ.* 114. *ſeq.*

audiuiſſe memini dicentem: *omnem ignorare antiquitatem, quid CALTHAE nomine veniret.* Deceptus forte fuit ab ISONE magiſtro, Monacho ſancti Galli, ſæculo decimo celebri, &, *CALTHA pro pretioſis pigmentis* habente, vt HEINSIVS (gg) docet. Sed florem eſſe tam ex PRVDENTII verbis, quam PLINIO (hh) *Calthам grauiter odoratam* perhibente, adparet. Lutei autem coloris, *Calthum*, vt POETAE placet, vel vt cæteri malunt, *Caltham*, eſſe florem ex VIRGILIO diſcimus, (ii) canente:

*Mollia LVTEOLA pingit vaccinia CALTHA.*

cui COLVMELLA (kk) maiorem adhuc fidem conciliat ſequentibus.

*Candida leucoiæ, & FLAVENTIA lumina CALTHAE.*

Ex his etiam BODAEVS a STAPEL (ll) *Caltham* poetarum, reliquorum botanicorum *Calendulam* eſſe probat, ita dictam quod ſingulis menſium calendis florere conſpiciatur. Quæ quum ita ſint, omne me credo dubium excuſſiſſe, quaſi cana antiquitas ignoraſſet, quid *Calthum* denotet.

Propius vero accedamus ad Diuinum noſtrum

(gg) In Editione PRVDENTII cum notis variorum, occaſione huius loci.

(hh) *Lib. XXI. Hiſt. Nat. cap. VI.*

(ii) *Bucol. Ecclog. II.*

(kk) *In Hort. Lib. X.*

(ll) *Comment. ad Lib. VII. Hiſtor. Plant. THEOPHRESII, cap. IX. p.* 835.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0081
DFG

ſtrum Senem, HIPPOCRATEM videlicet, & experiamur, an vni vel alteri loco lucem quandam adfundere nobis datum ſit. Inter loca vero interpretibus crucem figentia etiam ſunt Ἁλμυρώδεις πυρετοὶ *Febres ſalſuginoſæ* (mm) vix aliter quam nomine notæ, aut deſcriptæ. GALENVS (nn) eas ita depingit: *Salſuginoſas febres ad tactum quis referens, eas eſſe dicet, quæ pruritum quendam tangentibus inferunt, perinde ac ex ſalſugine & reliquis corporibus ſalſis excitari ſolet.* VEGA, teſtante GASPARO a REIES (oo) adhuc ineptius explicat, *putridas* enim *ſimplices intelligit, quod calor in humore talem ſignificat manui alterationem, qualem ſal linguæ.* An autem vnquam HIPPOCRATES eiusmodi morborum differentias tactu inquiſiuerit, vehementer dubito, nam ſalſuginem certe non manus ſed lingua, vt recte monet GALENVS, diſtinguere ſolet. Nota fuerunt omnino HIPPOCRATI multa imo infinita diuerſi ſaporis corpora in humano corpore obuia, ſed profecto alio longe modo quam digitorum miniſterio explorata; ἔνι γὰρ ἀνθρώπῳ inquit καὶ πικρὸν, καὶ ἉΛΜΥΡΟΝ, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στρυφνὸν, καὶ πλαδαρὸν, καὶ ἄλλα μυρία παντοίας

(mm) *Lib. VI. Epidem. Sect. I. Aph.* 51. *pag. m.* 798. *Tom. I Opp.* Vbi quædam febrium differentiæ obcurrunt.

(nn) *Comment. ad h. L. p. m.* 575. *Opp. Tom. III.*

(oo) *Camp. Elyſ. qu. LXVIII. num.* 8. *p.* 930.

τοίας δυνάμιος ἔχοντα, πλῆθός τε καὶ ἰσχύν. ταῦτα μὲν μεμιγμένα καὶ κεκρημένα ἀλλήλοσιν, ὄτε φανερά ἐστιν, ὄτε λυπέει τὸν ἄνθρωπον. *Ineſt enim in homine & amarum, & SALSVM, & dulce, & acidum & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenus facultates habentia, copiamque ac robur. Atque hæc quidem mixta ac inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt.* (pp) ὅταν δὲ τι τούτων ἀποκριθῇ, pergit (qq) καὶ αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ γίνεται τότε καὶ φανερόν ἐστι, καὶ λυπέει τὸν ἄνθρωπον. *Vbi vero quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt & lædit hominem.* Si ergo humor ſalſus hominem lædere debet, ſecretum a reliquis eſſe oportet eundem. Numquam autem ægrotos de ſalſedine ſibi moleſta magis conquerentes audimus, clinicam exercentes, quam in quibusdam *Catharrhis*, aut *Coryzæ* ſpecie, quod ῥεῦμα ἁλμυρὸν, vel *Catharrhum ſalſum* nec ipſi HIPPOCRATI ignoratum probat, nunquam ſine laudis præfatione nominandus Le CLERC (rr). Quis porro Medicorum neſcit, catharrhis nil frequentius iungi, quam febrem, & hanc interdum ſatis acutam, haud raro epidemice longe lateque graſſan-

(pp) *De Veter. Med. Sect. XXIV. num.* 20. *pag. m.* 27. *Tom. I.*

(qq) *lib. cit. Sect. XXV. num I.*

(rr) *Hiſtoire de la Medecine. Part. I. liv. III. Chap. VIII. p. m.* 167. *num.* 16.

ſantem? An ideo, his in vnum collectis tam procul a vero aberrem, penes TE, VIR EXCELLENTISSIME iudicium eſto, ſi credam, *Febrem Almyrodem HIPPOCRATIS*, *Febrem* dici mereri *catharrhalem*, coryzæ ab humore acri ſalſo natæ familiarem & communiter ſuperuenientem?

Alius obcurrit apud HIPPOCRATEM (ss) locus, forte non minori, vt antecedens, difficultate laborans, quo varias menſium ataxias recenſet. In his etiam quædam Ἐπιμήνια dicuntur ἀνθρακώδεα, *menſtrua carbunculoſa*. Quid hæc ſibi velint interpretes latet. FOESIVS (tt) quidem explicare tentat verbis: *ἀνθρακώδεα ἐπιμήνια dicuntur quoque HIPPOCRATI menſes carbunculoſi, hoc eſt CARBONIBVS ſimiles, & NIGRI, aut aduſti.* Quem autem eiusmodi ieiuna interpretatio ſatiabit? Parcus admodum eſt verborum HIPPOCRATES, & Laconicum dicendi genus nimium ſibi familiare, quam vt credi poſſit, magnum ſenem tautologiam committere ſtudioque vnam rem duabus vocibus deſignare voluiſſe, quum vocabulo proxime antecedente ea iam μελανὰ *atra* adpellauerit, quibus extra controuerſiam poſitum adparet, longe aliud ſymptoma menſibus iunctum intelligi debere. Ἄνθραξ *carbunculus* dici-

(ss) *Lib. I. de morb. Mul. Sect XXIV. num. II. p.* 432. *Tom II. Opp.*

(tt) *Oeconom. Hippocr. voce* ἀνθρακιν *pag.* 62.

dicitur AVTORI *Definitionum Medicarum* (uu) ἐσχαρώδης ἕλκωσις μετὰ νομῆς καὶ ῥεύματος, ἐνίοτε καὶ βουβώνων καὶ πυρετοῦ. *Vlcus cruſtoſum quod depaſcitur, cum fluxione, coniunctum interdum cum glandularum inflammatione, & febre.* In præſenti vero, ſignificationes, Tuo, VIR EXCELLENTISSIME, calamo anthracibus vindicatas repetere nolo, ſatis loquuntur hac de re & Tua, & WERLHOFFII *de Anthracibus & Carbunculis* meo encomio longe maiora ſcripta, quæ ſtrenue coram erudito orbe ſuam agunt cauſam. Senſus itaque COI verborum eo redit, vt *vlcera menſibus coniuncta* dicant. Quum autem in allegato præternaturalium menſium catalogo, etiam menſtrua ἰχωροειδέα, ἢ δριμέα, καὶ πυώδεα, *ſanioſa, aut acria & purulenta* noſtro Seni ſatis cognita fuerint, eaque malignitate vacua certe non ſint; in eam me induci paſſus ſum ſententiam, annon hæc ἐπιμήνια ἀνθρακώδεα aliquid *morbo venereo* affine ſi non ipſam *mulierum gonorrhaeam virulentam vlceribus fœdiſſimis*, quæ *Nomæ* ab AETIO (xx) hodieque *Chancres* dicuntur, *ſtipatam* ſignificent? præſertim quia idem HIPPOCRATES (yy) Seminis virilis in vtero feminæ compu-

(uu) *pag.* 399. *num.* 59.

(xx) *Tetrabl. IV. Serm. II. cap. XVII. pag. m.* 764. *Edit. Lat. Froben.*

(yy) *De morb. Mul. lib. I. Sect. XXXI. n.* 1. *p.* 437. *Tom. II. Opp.*

putreſcentis, & turbationem menſium facientis; & paulo poſt, ſexta vel ſeptima die, prodeuntis putrefacti a viro immiſſi ſpermatis meminit, quamuis, vt verum fatear, poſtremum etiam de abortu intelligi poſſet, niſi, quæ a viro immiſſa *δύσοδμα graueolentia*, *fœtida*, En! Gonorrhææ virulentæ virilis ſignum pathognomonicon! dicerentur, & cura huic malo, in muliere per draſtica maxime purgantia, veratrum ſcilicet & ſcammoneum oppoſita, contrarium forte magis credibile redderent. Vt hæc adſeram, me præ cæteris mouit locus apud PHILONEM (zz), qui, dum circumciſionis vtilitatem ex quatuor cauſis adſtruere conatur, ſcribit; *Vnam, vt caueatur morbus curatu difficilis, quem CARBVNCVLVM* (ἄνθρακα) *vocant, opinor ideo ſic appellatum, quod vrat inflammatione, quæ PRAEPVTIATIS facilius innaſcitur.* Reliqua huic ſententiæ firmius ſtabiliendæ non inidonea, peculiari ſeruo Schediasmati, quo *Veneri antiquitatem* reſtituere nitar. Malitia enim & proteruia mortalium cum ipſo mundo nata, & συνουσίας ὄρεξις vtrumque ſexum vix pubertatis annos egreſſum continue ſtimulans, me credere iubent, Græcorum pariter ac Romanorum ſumma viuendi licentia, corruptiſſimisque moribus ſimul conſideratis, & hanc ſpurcitiem, meretriciarum artium neceſſarium

(zz) *De Circumciſ. pag. m.* 168. *Tom. II. Opp.* Edit. Lugd. 1561. 8vo. Latin.

rium effectum, & ſtipendium, iſtorum ſæculorum Medicis non plane ignotum, licet alio forte nomine, vel nullo plane peculiari, inſignitum fuiſſe, quod vltimum, HIPPOCRATI præſertim, non adeo inſolens eſſe ſolet, vt *morbus niger* & *ructuoſus* ab eo deſcripti, alioue titulo non noti, vberrime teſtantur.

Ne autem mea, VIR EXCELLENTISSIME, FAVTOR ATQVE AMICE, HONORIS CVLTV PROSEQVENDE PERPETVO, garrulitate, moleſtus TIBI vltro exiſtam, Tuaque Patientia, Lenitate, & Humanitate abuti videar, vela contraham, nihilque præter votum ardentiſſimum ſubiungam. Seruet TE DEVS optimus maximus diu incolumem, ſuperſtitem, Familiæ ſplendidiſſimæ, orbi literato, vrbi plenæ tot ægrotis Tuis conſiliis priſtino reſtituendis vigori. Me vero TIBI addictiſſimum amare pergas. VALE. Wratisl. VI. Id. April. CIↃ IↃ CC XXXVII.

## Num. II.
### Pars Diſſertationis D. CAROLI FRIDERICI SCHWERDTNERI, quæ reſtat.

### §. X.

ET hæ ſunt proprietates principes, quas a MEDICO PHILOSOPHO requirit NO-

STER (47) cui ſuffragatur optime, celeberrimus Lipſienſium RIVINVS in *Diſſertatione eruditiſſima de MEDICO INCVLPATO*, quam excerptam nobis communicauit mea laude longe maior Iſenacenſium PODALIRIVS *in Collegio Practico Stabliano* p. 4 -- 112. vbi omni iure meritoque primas tenere iuſſit PIETATEM; namque

*Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,*

*Nil vel Dictamnus, nil Panacea poteſt.*

Excipit hanc ERVDITIO, quæ intimiorem Linguarum, Latinæ imprimis & Græcæ, Doctrinæ moralis, Logicæ, Phyſices, Matheſeos, Phyſiologiæ, Anatomiæ, Pathologiæ, Hygienes, doctrinæ de Materia Medica, Botanices, Chymiæ, Chirurgiæ &c. notitiam inuoluit, ſine quarum cognitione nemo felix Medicus eſſe poteſt. Tertio loco ponit ALACRITATEM & PROMPTITVDINEM; quarto DILIGENTIAM quia ſuperficiaria Medicinæ cognitio & turpis & noxia eſt; quinto HVMANITATEM; *Medici* enim *iudicio vulgi exponuntur, hinc placere ſtudeant* (48). Sexto PATIENTIAM; ægros enim moroſos prudentiam Medici nimium quantum fatigare & flagitare in peculiari Diſſertatione demonſtrauit illuſtris STAHLIVS, (49) vltimo poſcit ANIMOSITATEM, cui ſuperaddit laudatus PELARGVS, PRVDENTIAM, & LENTILIVS, VERITATIS ſtudium. Inter vitanda numerat

rat RIVINVS, I. AVARITIAM tanquam *morbum tam acutum, vt permearet in venas & inhæreat viſceribus, nec inueteratus euelli poſſit;* (50) II. GARRVLITATEM: Medicus enim garrulus ægrotanti alius morbus eſt, nec decet ipſum eſſe multiloquum aut loquacem, vel in conclaui ægrotantium ſesquipedalia proferre verba; (*) CELSVS enim dicit: *Remediis non eloquentia ſanari morbos;* & LENTILIVS argute monet: *Medicum bonum nec eſſe debere MVTIVM, nec LALVM.* (51) III. LASCIVIAM, quippe modeſtiæ ac verecundiæ limites tranſilire Medicis nefas eſto; IV. VINOLENTIAM; *vilis enim & tenuis & ſimplex menſa bonæ valetudinis mater eſt.* (52) V. POLYPRAGMOSINEN, quam fuge ceu peſtem; VI. TEMERITATEM, *qui enim noxiis medicamentis temere vtitur, & bonis abutitur, impunitus dimitti haud debet;* (53) VII. MALITIAM & DOLVM tanquam ſignum criticum Medici minus conſcientioſi; VIII. INVIDIAM; Figulus enim figulum odit, & Medicus Medico inuidet; *Inuidia* autem *& conuiciis proditur animi impotentia*, dicit HIPPOCRATES.

(47.) Delineauit etiam IO. AD. HOFFSTERVS requiſita veri Medici *in epiſtola quadam gratulatoria ad*



(*) Huc præ cæteris pertinere videtur ridicula MOLIERI definitio Medici, qui eſt ipſi; *Un homme qu'on paye, pour conter des Fariboles dans la chambre d'un malade, jusque la nature l'a gueri, ou les remedes l'ont tué.*

*BENI. BENEDICT. PETERMANNVM*, ſed ipſam non vidi. (48) BOHN. *de Offic. Medici pag.* 45. (49) *De Moroſis ægris prudentiam medici fatigantibus & flagitantibus* Hall. 1714. (50) CICERO *IV. Tuſc. cap. XI.* (51) *Iatromn. Theoretico-Pract. pag.* 588. (52) CHRYSOSTOMVS *Homil. XXI. in IOH.* (53) CAROLI V. Peinliche Hals-Gerichts-Ordnung Art. 134.

§. XI.

Sane ſi quis e grege Medicorum hæc aut SCALIGERI aut RIVINI requiſita poſſidet, eaque exercere & aſſeruare nititur, MEDICVS non ſolum erit INCVLPATVS, ſed & *laudari vehementer dignus* (54) imo MEDICVS vere PHILOSOPHVS. Sed quod noſtri libidinem ſæculi attinet, vnicum adhuc a Medico exigi requiſitum fere videtur; debet enim eſſe *Naturæ Priuilegio* (55) ornatus. i. e. vultu PVLCHER & forma VENVSTVS. Bellis enim fœmellis & delicatulis nil magis arridet, quam pulcher & bene compoſitus externus corporis virilis habitus; & certe, ſi vllo, noſtro valebit tempore effatum ARISTOTELIS: *PVLCHRITVDINEM plus quam epiſtolas omnes valere ad commendationem.* (56) Sexus imprimis mollior, cui ſplendor veſtitus, formoſitas faciei & elegantia frontis maxime ad palatum eſt, ea loborat imbecillitate, vt & inter medicos illos ſibi tantum eligat, quibus natura tale priuilegium conceſſit; hinc fingunt morbos, poſcunt medicamina quouis fere die, fi-

gunt ſalaria, accerſunt medicum, delectantur eiusdem alloquio, pulſum tangi volunt ſæpius, imo interdum tantæ ſunt impudentiæ, vt amplexum Medici & congreſſum nimia laſciuia ardentes voluptuoſius anhelent. Cum tamen non in omni pulchro capite cerebrum inſit, nil intereſt, num formoſiori vultu gaudeat, nec ne, ſufficit ipſum eſſe erecto corpore, ſerena fronte cum grauitate quadam remixta, nec tamen nimis auſtera, iisque, quas ſupra recenſuimus, qualitatibus imbutum; ſic vtrumque in Praxi ſua obtinebit ſcopum, in moribus ſcilicet VENVSTATEM, in arte DIGNITATEM.

(54) Qualem nuper elegantiſſima *Diſſertatione* delineauit Excell. ſtudiorum meorum Promotor, IOH. HENRICVS SCHVLTZE. Hall. 1736. 4to. (55) Ita vocauit PVLCHRITVDINEM, PLATO. (56) Τὸ κάλλος πάντας ἐπιςολῆς συςατικώτερον.

## §. XII.

Redeo ad Vos, VIRI Excellentiſſimi, COLLECTORES SATYRARVM MEDICARVM ſpectatiſſimi; præſtatis vos MEDICOS vere PHILOSOPHOS, quibus nullum inter requiſita recenſita deeſt, ſiue ſpectemus vitia, quæ abſint, ſiue virtutes, quæ adſunt. Minime Vos PECVNIAE DEDITOS aut AVAROS ſuſpicari vellem, alias enim nullos vel ſumtus, vel labores impenderetis, ſiquidem noſtro tempore ſcribendo multum lucrari velle, fere



Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0091 DFG

vanum erit & inane. VESTRA SCIENTIA vel OPERA, vel SVCCESSV TVMEFIERI Vos vtique pudet, hinc beneuoli & *inuocati* quaſi nobiscum communicare cœpiſtis, quæ ſcitu, lectu & notatu digna in Praxi veſtra offenditis. - - - (*)

Exoptati adeſtis tali tempore, vbi pulcherrima noſtra ſcientia innumeris Empiricorum, Mulo-Medicorum, Medicaſtrorum & huiusmodi quisquiliis conſpurcari, imo ipſa plurimorum Medicorum, quos titulus ſaltem colorat inſulſa inſcitia grauiter obnubilari cœpit. Adeſtis tanquam Dii ex machina errores vulgi craſſiſſimos luculenter diſſipaturi, hoſtem ſalutis publicæ & eruditionis, ignorantiam puto, felicius debellaturi & honorem PATRIAE, qui ferme extingui videbatur, glorioſiſſime vindicaturi. Adeſtis, & lætantur omnes, quos medicas didiciſſe fideliter artes haud tædet; lætan-

(*) Ignoſce LECTOR, quod integrum non inuenias paragraphum. Laudes enim, quarum præter merita ex ſolo Celeber. AVTORIS benigno in nos adfectu profectarum plenus erat, lubentes ſilentio premimus, ne proprii encomii buccinatores videamur. Ignoſcet etiam Doctiſſimus Diſſertationis Scriptor, quod mutilandi ſpecimen vſi ſimus libertate, tenuium noſtrarum virium probe conſcii, illud vero eo certius ſcientes: Quæ nobis adſcribere dignatus eſt, optimus FAVTOR, in eundem melius quadrare, tanquam Medicum, Ideæ artificis, ab ipſomet delineatæ, quam ſimillimum.

lætantur, quibus ſolida rerum phyſicarum cognitio curæ cordique eſt; lætantur denique, quibus præ reliquis honorum, opum, celſitudinum ſpecioſis illecebris gloria prima exiſtit VERA ERVDITIO.

§. XIII.

Sed ecce video Vos SATYROGRAPHOS; qualem inde ſibi concipiet Lector ideam? Nonne Vos *exſecrabitur aut reformidabit* (57) tanquam curioſos hominum ſollicitatores, aliorumque Medicorum dicta, facta vel ſcripta liberius perſtringentes? Dicacitatem enim & laſciuiendi libidinem SATYRIS dediſſe nomen, ex lectione Poetarum conſtat. Verum abſit, tale quicquam de VOBIS ſibi imaginari velle; explicuiſtis ipſi mentem VESTRAM in epiſtola citata ſatis ingenue (58) & vti FESTVS SATYRAM definit: *Eſſe Legem multis aliis refertam legibus aut genus carminis, vbi de multis rebus diſputatur;* Sic COLLECTANEA VESTRA variis Obſeruationum, Experimentorum & Tentaminum ſpeciminibus inſtructa SATYRARVM nomine perquam commode notaſtis. Et quidni? Eſtis vtique imitatores feliciſſimi magni quondam SATYROGRAPHI, quem licet hunc iamdudum ſepultum & a blattis & tineis vermibusque comeſtum ſcripta adhuc loquuntur & fama ſuperſtes perennabit, GEORGII ſcilicet FRANCKI a FRANCKENAV, Regis Danorum Medici primarii, & Illuſtris Academiæ Naturæ curioſorum Adiuncti,

 cuius

cuius SATYRAS MEDICAS Lipſiæ 1721. 8vo impreſſas orbi erudito non ſine applauſu communicauit filius ipſius natu minimus (59). Gratulor itaque VOBIS quam maxime hanc Veſtram SATYRIASIN, tanquam excellens Pharmacum, quo priſtinam Medicinæ ſanitatem & antiquum ordini ſplendorem reſtituere poteſtis; & cum inter tot tantosque conatibus Veſtris doctiſſimis honorifice applaudentes vltimus eſſe noluerim, publice lineis hiſce profiteri non erubui, quanta cum veneratione inſtitutum veſtrum excipiam, exoptatiſſimam hanc occaſionem in veſtram notitiam perueniendi, Patriæ & orbi medico inſeruiendi, obſeruationes rariores, in quantum per dotes ingenii exiguas ſtrepere potero, vobiſcum communicandi, & ex collectione veſtra ſolertiſſima plurimos fructus hauriendi ambabus amplectens manibus.

(57) SIDONIVS *lib. I. Ep. vet.* (58) Gelehrte Neuigkeiten Schleſiens 1736. *Menſ. Ianuar. p.* 19 (59) Recenſionem vide in Deutſchen *Act. Arudit. P. LXXVII. pag.* 360. *ſeqq.*

## §. XIV.

Vela nunc eſſent vtique contrahenda atque extrema linea ducenda, ne Veſtra patientia abuti velle videar. Sed reſtat adhuc vnicum, quod Coronidis loco imponere mihi liceat; quæritur ſcilicet vtrum ad ESSE MEDICI pertineat LINGVAM LATINAM adeo adcurate noſce-

noſcere, vt non ſolum illam intelligere, ſed & loqui, imo calamo pingere poſſit ita vt in regulas PRISCIANI non impingat. Dediſtis ipſi anſam ad dubium hocce mouendum *in præfatione Veſtra ſpecimini I.* præmiſſa, & noſtro tempore maiorem attentionem vtique meretur. Dolendum vere, imo vehementer dolendum eſt, tot in præſenti practicos libros lingua vernacula exaratos eſſe, vt ferme quiuis variarum formularum farraginem ſibi inde colligat, & indiſcriminatim huic vel alii ægro obuenienti obtrudat; hinc certe noſtris temporibus

*Fingunt ſe Medicos quiuis Idiota, ſacerdos,*
*Iudæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus,*
*Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator.* (60)

ET RODERICVS CAPELLANVS, Hiſpanus, Epiſcopus Zamorenſis, Referendarius Papæ PAVLI II. *in ſpeculo vitæ* fatetur: *Vidiſſe ſe plures, heri barbarum raſores, hodie morborum grauium cenſores, heri herbas cœteraque materialia in Apothecis commiſcentes, hodie in Principum aulis morbos diiudicantes* (*). Vnde hæc temporum iniu-

F 5

(*) Erit forte auditu non iniucunda hiſtoria, nobis a Viro fide digniſſimo, Illuſtri, Locum tenente ſcilicet quodam Colonello relata, ſequentibus fere verbis. Vor ohngefehr 15. Jahren, machte ein gewiſſer aus Ungarn kommender neuer Doctor einen erſchrecklichen bruit in Wien. Man redete von nichts als ſeinen erſtaunenden und

iniuria? Dixit iam PLINIUS: *Luem morum non aliunde maiorem, quam ex Medicina ſcaturire*, ſed ego

und faſt unglaublichen Curen, ſo daß er in die vornehmſten Häuſer geholet ward, und ihm das Geld recht zuſchneyete. Ich, wie ihnen bekannt, bekam eben dazumal eine Attaque von meinem gewöhnlichen Podagra, und ließ mich deßhalb bereden, den Wunderthäter in mein Quartier holen zu laſſen, weil man mich verſicherte, auch ich weiß nicht mit wie viel Exempeln beweiſen wolte, daß er dieſe beſchwerliche Kranckheit faſt weg blaſen könte. Mein Doctor kam auf einer prächtigen, und mit etlichen Laquayen beladenen Caroſſe gefahren, und zu mir, in einen ſammtnen Rock eingepackt, ins Zimmer. Allein als er mich anſahe, erſchrack er, und mir ſelbſt ſchiene ſein Geſicht bekannt zu ſeyn, er ſetzte ſich nieder, und fieng ſich meiner Kranckheit wegen, doch mit ziemlich verwirrten Gemüth, an zu erkundigen, ich fiel ihm endlich in die Rede, und ſchrey: **Kerl! ſag mir, wo ſchlägt dich der Donner hier her, und welcher Teufel hat dich zum** *Doctor* gemacht? Diß auf gut Soldatiſch gemachte Compliment, brachte ihn vollend aus aller contenance, daß er frey geſtand, er kenne mich, ſo wohl wie ich ihn, und er ſey die Perſon, vor den ich ihn anſähe, nemlich der von mir vor etlichen Jahren wegen ſeiner Liederlichkeit von der

ego potius contenderem: Luem medicinæ noſtro ſæculo adeo corruptæ non aliunde ſcaturire, quam ex nimia affectatione ſcripta Practica ſtilo patrio vel componendi, vel in illum

der Compagnie gejagte **Fahn-Schmidt**, er hätte ſich nach erhaltenem Abſchiede nichts anzufangen gewuſt, daher er anfangs ſein Brod zu finden Pferde curiret, endlich auch den Bauern in Ungarn Medicin zu geben angefangen, ſeine Curen wären glücklich angeſchlagen, weßwegen er bey andern Regimentern unter den Officiren bekannt worden, und er alſo durch deren Recommendation in ſo groſſen Ruff kommen. Als ich ihn fragte, was er denn den Menſchen eingäbe, ſo geſtand er, eben die Mittel, die er bisher bey den Pferden gebraucht, weil ihm keine andre bekannt wären, er auch weder ſchreiben noch leſen, folglich aus keinem Buche keines nehmen könte, und er lieſſe einen Menſchen ſo viel ohngefehr, als ein junges Fohlen nöthig hätte, einnehmen. Weil ich alſo, fuhr angeregter Herr Baron fort, meinen Doctor kannte, wolte ich mit ihm und ſeiner Pferde-Artzney keine Probe anſtellen, ſondern ließ den Narren lauffen, nachdem er mich zuvor gebeten, ihn nicht zu verrathen, wohin er wolte. Er muſte ſich aber nach dieſem Streiche in Wien nicht mehr recht ſicher trauen, weil er ſich kurtz darauf unſichtbar gemacht. COLLECTORES.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0097 DFG

illum transferendi ( de Theoreticis enim non eſt quod moneam ) & ex turpi neglectu, LINGVAM LATINAM puram & ab omni vitio remotam addiſcendi vel conſeruandi.

(60) Rem acu tetegit ROSINVS LENTILIVS, dum in *Miſcellan. Medico-Pract. I. pag.* 98 ita illud vertit:

Freund! fragſt du, wem doch ähnlich ſey
Das arme Practiciren?
So ſage: der Juriſterey
Und dem Proceſſe-führen.
Wanns Händel giebt, ſo hängt mans an
Bey niedrigen Gerichten,
Was dieſe Banck nicht heben kan,
Das müſſen höhre ſchlichten.
So geht es mit der Medicin;
Wenn ſich der Krancke leget,
Meynſt du, daß ihn die Zuflucht hin
Zum rechten Doctor träget?
Ach nein, es hat die erſt Inſtanz
Der Schmierer, Scherer, Kratzer,
Das alte Weib, der Prahler Hans,
Der Lügner und der Schwatzer;
Schiebt man den Karren in den Koth,
Der Krancke will marchiren,
So will man in der letzten Noth
Zum Doctor appelliren.
Das laß mir eine Praxin ſeyn!
Es gilt die Haut der Armen:
Ach GOtt vom Himmel ſieh darein,
Und laß dich deß erbarmen!

§. XV.

§. XV.

Veritati conſentaneum eſſe quod dixi, vtrumque propoſitionis huius membrum teſtimoniis corroborare annitar. Quod prius attinet, ad confirmationem iſtius adducam, non mea ſed medici cuiusdam in vicinia haud incelebris, verba, quæ in epiſtola de dato 16. Auguſti ad me conſcripta, ita ſonant: Daß WEISBACHS Cur aller Kranckheiten ein gar gutes Buch, und denjenigen, ſo nicht *Medicinam* ſtudiret, nöthig ſey, zeiget der ſtarcke Abgang und die öfftern Auflagen deſſelben: daß man aber nachgehends deutſche Recepte in den neuern Auflagen als von An. 1732. eingeſchoben, kan gar nicht gebilliget werden; denn dadurch wird dem gemeinen Mann zur empirie ſtarcke Gelegenheit gegeben; es wäre beſſer, man hätte das Buch ſo gelaſſen, wie es anfänglich geweſen, dergleichen in meiner Edition von 1712, worinnen kein deutſches Recept befindlich. Der gemeine Mann kaufft ſich dieſes Buch, lieſet faſt fleißiger darinnen als in der Biebel, ſieht, ob die Kranckheit, die er hat, mit der in dem Buche beſchriebnen übereinkommet, gehet hernach mit dieſem Buche in die Apothecke, und läſſet ſich die darinnen angegebnen deutſchen Recepte verfertigen; dergleichen Caſus mir dieſes Jahr 2. mal widerfahren. Das erſte mal war im Winter, da ein Bauer in die Officin mit dieſem Buche von An. 32. kommet, deſſen Freund eine geraume Zeit *febre quotidiana intermittente* laboriret hatte;

dieſer

dieſer hatte das Capitel *de febre ephemera* geleſen; weil nun die *Signa* des *febris ephemeræ* mit ſeiner *quotidiana intermittente* einiger maſſen überein kommen, ließ er ſich die in dem capite *febris ephemeræ* beſchriebne Pulver verfertigen. Zu Anfang des Iunii kam er wieder mit dieſem Buche, ließ ſich einen Kräuter-Thée aus demſelben wider den Schnupffen, wie auch eine Mixtur verfertigen. Hier ſiehet man alſo ein Exempel, wie die deutſch geſchriebne practiſche Bücher, und was das mehreſte iſt, wenn ſie mit deutſchen Recepten erfüllet ſind, viele Gelegenheit zur empirie geben, und ohnerachtet die Liebe des Nächſten bey allen dergleichen Schrifften oben an ſeyn will, doch aber in der That mehr Schaden als Nutzen verurſachen.

§. XVI.

Quod LINGVAM LATINAM, quam poſteriori loco nominaui, concernit, cum hæc vernacula ſit totius Eruditorum cœtus, aut vt COMENIVS expreſſit, *poſtquam vnius gentis propria eſſe deſiit, communis Europæarum gentium Mercurius, ſcholisque incluſa eruditorum vinculum & Eruditionis vehiculum facta ſit* (61) neque is vere docti nomen habere queat

*Qui non græca ſimul iungat documenta LATINIS,*

ſequitur LATINITATEM ſiue obſeruationem incorrupte loquendi vel ſcribendi ſecundum Romanam linguam & ex parte Medici in maxima laude ponendam; namque *tam præclarum eſt*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0100
DFG

*eſt ſcire latine, quam turpe neſcire* (62). Imo ſumme neceſſarium eſſe Medico LATINI ſermonis noſſe elegantiam, teſtantur varii caſus, vbi prudentia ratione vel perſonæ, vel morbi decumbentis, vel etiam ratione adſtantium aut neceſſariorum requirit, rem non aperte & ingenue, ſed tecte eloqui; id quod commodius fieri non poteſt, quam ſermone Latiali. Et quid amplius? Teſtor viciniam veſtram, Sarmatiam puto, quis quæſo Medicorum in oris Polonorum felices progreſſus facere vellet, ſi natiuum ſermonis latini leporem ignoraret, vtpote qui ipſis adeo familiaris eſt vt vel infimi vrſorum domitores ductoresue illum ſatis apte pronunciare ſciant. Et hæc ſola fere eſt tellus, cuius incolæ ſtudia & operas Medici digno adhuc pretio emetiri norunt. Sed abiicio calamum. Valete, VIRI CLARISSIMI, pergite delectare doctos fœtibus veſtris, colluſtrare patriam ſcriptis veſtris, inſeruire publico facilitate veſtra, fauere mihi amore veſtro & amicitia; nullus dubito, noſtrum omnium eſſe vnum eundemque ſenſum, quod ſit magna laus LATINA intelligere, maior LATINE ſcribere, maxima LATINE loqui. Deproperabam Iauorii A. E. S. MDCCXXXVI. ſub finem vergente.

*- - - - ſit hæc Tibi regula vitæ:*
*Noſce Deum, Tete, Naturam, viueque ſancte;*
*Qua ſi procedes, miſeros ſanabis & ægros*
*Et MEDICVS FELIX viues, benedictus ab alto.*

(61) *Diſſert. Didactica de Sermonis Latini ſtudio.* (62) CICERO *de Clar. Orator. Cap. XXXVII.*

Finis.

## Num. III.

### Vita
### Generoſi ac Strenui Domini,
# DAVIDIS de GRAEBNER,
### Medici Wratislavienſis. (*)

FIge LECTOR bonis literis bonam operam nauans, non pedem, quem Saxum ſignatum non moratur, neque vero, neque honorario ſepulchro impoſitum, ſed oculos, non erigendos ad cippum altiorem, nec deprimendos ad lapidem humilem, intentos tamen ad literas, quæ Eleganti elegantiorum literarum Cultori, Prudenti Medico, Bono, quod ſummum eſt, Chriſtiano, æternam ex voto memoriæ aram conſecrare debuerunt. Rudi enim Saxo operiri voluit colenda dignus vir memoria DAVID de GRAEBNER, cui Induſtria, Prudentia, Pietas, & Auxilians Diuina Gratia, æterna fidei & vitæ chriſtianæ auctor, non intermorituram conciliauit nominis famam, per orbem literatum non minus, quam in vrbe patria, Nato Vratislauiæ A. D. VII. Kal. Maii Anni a C. N. CIↃ IↃCLV. Parens Ho-

(*) Integrum inſertum eſt Monumentum B. Viri memoriæ Sacrum, a Clariſſimo Viro Domino CHRISTIANO WEINISCH Phil. M. & Gymnaſ. Profeſſore Digniſſimo, erectum.

Honeſtiſſimus, DAVID GRAEBNERVS, & mater optima MARIA STIEFFIA, nec dedecus contraxerunt, nec decus acquirere potuerunt, ſed virtus per ſacrum lauacrum renata, in eadem, qua nuper denatus conditus eſt, æde Mariæ Magdalenæ nomini dicata, DEO ſacra, maiores origine honores parauit. Puer atque adoleſcens, vt olim diſcendo ſeneſcere, ſenex beate mori poſſet, principia Chriſtianæ religionis edoctus, ad latinas atque græcas literas diſcendas, animum vere virilem attulit, conſiliis atque præceptis Doctiſſimorum virorum adiutus atque formatus, quos primos laudum ſtudia ſua ſubſecutarum auctores ampliſſimis ſemper laudibus cumulauit, grato animo recordatus priuatam in ſe erudiendum erudite collocatam diligentiam ANDR. SCHVELLERI Paſt. Eccl. Sandewald in agro Wolauienſi, quem octogenarium ſenem ſeni ipſi ſeptuagenario A. MDCCXXVI. coram venerari contigit, & fidem atque dexteritatem publicorum Gymnaſii Magdalenæi præceptorum, imprimis CHRISTOPHORI gemini SCHVLZII atque WIMMERI, clariſſimorumque Profeſſorum IOH. FECHNERI, CHR. POMARII, GEO. WENDII. Muſicam quoque tractauit Duce IAC. WILISIO cantore Bernhardiniano. Nullam ætatem muſice acturus, ſed laborum prodigus, auarus temporis, ſymbolum vita exprimens cauente: *Ne qua dies eſſet linea*, Græcam imprimis ita exco-

luit linguam, non lingua ſed operam ſibi vindicaturus, vt in actu B. POMARII oratorio Anni MDCLXXIV. Græce declamare poſſet, & paucos poſt menſes breuemque nec otioſam Thorunii atque Gedani moram, ne longior continuandorum ſtudiorum curſum moraretur, Regiomontum ingreſſus, non egreſſurus, niſi a Rectore Magnifico CHRISTIANO RETHIO A. D. IV. Non. Iul. in numerum ciuium Academicorum receptus, & IOH. ROELINGII atque CHR. HARTKNOCHII commendatione, ad alumnorum conuictum admiſſus, IOH. GEOR. STRASBVRGII, FRIED. LEGNERI, atque GEO. WOSEGINII lectiónes Medicas, ipſe futurus Medicus in ſuccum & ſanguinem conuertiſſet, priuata ſimul CHR. SANDII inſtitutione profeciſſet, peſtilentia, qua præceptor periit, non infectus. Modicis interim Muſicæ deliciis, honeſto animi laxamento, laborum tædia temperans, omnibus ſuam artis ſcientiam ita probauit, vt autor concentus Muſici fieri iuberetur, quo Muſæ Regiomontanæ, Celſiſſimo Principi ERNESTO BOGVSLAO Duci CROIANO & ARSCHOTTANO, Epiſcopo quondam CAMMINENSI, gratulandi officium exhibuerant. Menſe Iunio Anno M DC LXXVIII. fretus diuino auxilio, per fretum Selandiam a Scania dividens, naui Belgica Belgium adire aggrediebatur, ſcientiam medicam aucturus, non pericula experturus,

turus, quæ cum ipſum non fugerent, ipſe fugiebat, tantiſper eadem piis meditationibus leniens, dum Hafniæ portum inueniret, placidiſſimis colloquiis SIM. PAVLI, THOM. BARTHOLINI. P. OLAI BORRICHII & aliorum refectus. Vnde non mare ſed claſſes Hoſtiles extimeſcens Lubecam & Hamburgum contendit, tandemque Amſtelodamo inſpecto A. D. V. Id. Nouembr. Lugdunum venit, vbi apud Rect. Magnificum CAROLVM DRELINCVRTIVM Pr. Anat. nomen profeſſus, lectionibus TH. CRAANII, LVCAE SPECHTII, CAR. de MAETS, ARN. SYENI Medicorum attentus per ſemeſtre ſpatium auditor interfuit. Itinere per cæteras Belgii vrbes confecto, ſecundo vento in Angliam menſe Maio A. MDCLXXIX. profectus, Londini, Cantabrigiæ, Oxonii ornamentorum ſpectaculo exſatiatus, vlterius animum ornaturus Caletum appulit, vnde Kalendis Auguſti Lutetiam Pariſiorum delatus, pluribus Galliæ prouinciis peragratis, Auguſtæ Taurinorum per menſem ex more ſuo otiabatur. Venetiæ, quo A. D. XIII. Kal. Nouembr. peruenit, peregrinantem non peregrinum rerum memorabilium admiratorem, paulo diutius retardarunt, quo minus properanter feſtinaret ad Academiam Venetorum Patauinam, euocatus fama Clariſſimorum artis ſalutaris Doctorum, CAROLI PATINI, OCTAVII

FERRARII, ANTONII de MARCHETTIS, quibus non minus, quam POMPILIO SCOTO, CAROLO RINALDINO, GEORG. a TVRRE, IAC. PIGHIO operam dare operæ pretium ſore ducens, demum A. D. XV. Iulii Anni MDCXXC. ab Excell. HIERONYMO FRIGIMELICA Pal. t. t. com. & Equite, Medicinæ & Philoſophiæ Doctoris titulo ornatus, ornare eundem cœpiſſet ſplendidius ornaturus in prouincia patria. Diſcedens enim poſt Nouendium Patauio, Agris Vicentinis, Veronenſibus, Tridentinis, Tirolenſibus perluſtratis, Auguſtam Vindelicorum A. D. VIII. Id. Iul. aduectus, Noribergam, Ienam, & cæteras Saxoniæ ſuperioris Academias, Berolinum, & reflexo ad Sileſiam itinere Francofurtum contuitus, VRATISLAVIAM rediit A. D. XVII. Kal. Febr A. MDCXXCI. Nec ſuperatas itinerum difficultates, nec rerum viſarum multitudinem & magnificentiam, nouis figmentorum monſtris adauctam, enarrando, patientes audientium aures ambitioſe obtuſurus, ſed ægrotis ſuppetias laturus, non ægre ferebat Senatus Frauſtadienſis in Polonia literas, ciui patriæ vix reſtituto exiguum in eadem reſpirandi ſpatium concedentes, Medici Primarii munere & onere collato, cui pares ferendo humeros ſubiiciens, Tuto, Celeriter, atque Iucunde morbis medendo, partibus prudentiſſimi Medici per aliquot annos fun-

functus, eosdem maiori ſuſtinendo non ſubduxit, Vratislauiam reuerſus, vbi, ornatiſſimam omnibus virtutibus fœminam ROSINAM PFVEZNERIAM, e familia Iæniſiorum ortam, A. D. III. Id. April. A. MDCXXCIV. duxit, quæ nullum concordis matrimonii pignus enixa A. D. VIII. Kal. Iun. Anno MDCCVIII. ſolemni funere elata, vacuum fecit torum nuptiis, Nobiliſſimæ fœminæ ANNAE DOROTHEAE KREBSIAE, vxoris ICti prudentiſſimi WOLFFGANGI SCHARSCHMIDII, quæ vidua viduo d. XVI. Kal. Aug. MDCCIX. nupta, ſecunda vtriusque vota vere ſecunda feciſſet, niſi duos filios ex nouo marito genitos, ante partum extinctos peperiſſet, & ſeni coniugi nouam luctus cauſam addidiſſet, viuere deſinens A. D. IV. Id. Mart. A. MDCCXXXIV. Quæ gaudiorum luctuumque viciſſitudines, etſi diſtraxerunt animum medici pluribus modis afflicti, nunquam tamen commouerunt, vt ægrorum lectos fugeret, neminem deſtituens, quisquis ſibi eundem adeſſe iuberet. Vacuo ab his curis tempore Libris ſcribendis & obſeruationibus inſtituendis vacabat, turpiter otiari neſcius. Teſtantur id volumina Philologiæ & ſcientiæ Medicæ pleniſſima, *Medicina vetus reſtituta THEODORI CRAANII Tractatum de Homine Paragraphe Hippocratico Galenica illuſtrans, & Diarium Meteorologicum Vra-*

*tislauienſe*, quæ cum Nummis a viro ingenioſo inuentis IOSEPHI Romanorum & Hungarorum Regis Glorioſam Memoriam conſecraturis, LEOPOLDI M. Romanorum Imperatoris gratiam ita auctori conciliarunt, vt maximis Induſtriæ atque Prudentiæ præmiis ornaretur iisdem Kalendis Iulii MDCC. in numerum Nobilium Bohemicorum relatus, inter Aulæ Cæſareæ Medicos cooptatus. Quas dignitates aucturus, *VII. tractatus* Anno huius ſeculi ſecundo diuulgabat, *quorum ſecundum* in *Mantiſſa Tripartita* An. V. typis excuſa, poſt publicatam Aduerſarii Nobiliſſimi anno ſeculi III. Reſponſionem & diſcuſſionem, *acerrime defendit*, acrior fidei ſui in Chriſtum defenſor, quam auditione verbi diuini crebra & attenta, confirmare intentus, per omnem vitam ſibi gratulabatur, audiuiſſe olim Gedani D. ÆGIDIVM STRAVCHIVM, profeciſſe Haffniæ familiaritate D. IOH. LASSENII, & ne illa vnquam deficeret, nihil minus moleſtius, nihil magis iucundius accidit Viro Chriſtianæ vitæ ſtudioſiſſimo quam vsque ad finem vitæ verbo Dei in templo domique erudiri, vt, corpus laboribus eneruatum atque effœtum tradere ſenectuti, & catarrho D. XVI. Kal. Febr. A. MDCCXXXVII. infeſtatum, A. D. XII. Kal. Febr. ſuffocatum terræ matri, animam Dei & Cæſaris beneficia venerantem, acceptis non ſuperbientem, magis verbi diuini deliciis molleſcen-

leſcentem, & tertio ante obitum die, poſtremis ſacræ Euchariſtiæ Epulis refocillatam, Deo reddere lætus poſſet, reddituram Auctori & Soſpitatori ſuo, inter gaudia æterna, æternam gloriam.

Tu pie atque literate LECTOR, dum tuos oculos monumentum deſtituit, fac, ne animum unquam deſtituat illuſtre Viri Nobiliſſimi exemplum, ad honeſtam Induſtriæ, Prudentiæ, atque Pietatis æmulationem ſine ambitione excitans, quisquis honoribus vel fugientibus deſtitutus, vel anhelatis affluens, particeps fieri aues æternæ gloriæ, compos voti futurus

ex Voto M. CHRISTIANI WEINISII. G. E. C. P.

FINIS.

IN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0109
DFG

# INDEX.

Obſeru. I. D. Gothofredi Henrici Burghart Conſtitutio Thermarum Landeccienſium An. 1736. pag. 3
II. Eiusdem: Experimentum, ſalem volatilem plantis denegari non poſſe, probans. 11
III. Dolores Rheumatici Diarrhœa ſoluti. 17
IV. D. Caroli Wilhelmi Sachs, Decas Obſervationum. 22
a) Muſca toto corpore animalculis minimis conſperſa. ibid.
b) Barba creſcens poſt mortem. 23
c) Pica Grauidæ. 25
d) Sceleton vegetabile foliorum quæ Alkekengi baccam includunt a natura factum. 27
e) Lilium multiflorum Wratislauienſe. 28
f) Lactis imminutio Camphoræ falſo adſcripta. 29
g) Pili prælongi pudendorum muliebrium. 30
h) Ἐυπόριστον in tumoribus hernioſis. 32
i) Obſtructio vel ſiccitas narium periodice recurrens. 33
k) Lipothymia ex preſſione ventriculi. 34
V. D. Iohannis Antonii Scrinci Relatio de morbo ſpaſmodico in Regno Bohemiæ vementer graſſante. 35

## Mantiſſa.

Num. I. D. Gothofredi Henrici Burgharti Diſſertatio Epiſtolaris ad Dn. D. Iohannem Godofredum Hahn, qua quædam veterum Loca illuſtrantur. 64
II. D. Caroli Friderici Schwerdtneri Pars Diſſertationis quæ reſtat. 81
III. Vita B. Dni Dauidis de Græbner, Medici Wratislauienſis. 96



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935747/phys_0110
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0111
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0112
DFG

f. 5. p. 103. Abs. 3.
p. 103. Abs. 3.
p. 95. Abs. 3.
p. 103. Abs. 1.
p. 103. Abs. 1.
p. 128. f. 1.
p. 110. f. 1. Abs. 2.
p. 162. f. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0113
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935747/phys_0114
DFG

noſtri ſolaris ſyſtema-
ie, vno verbo, planetae,
m ſtellam fixam, tan-
vagantes, & propter
tae ſuae, ſiue illa circu-
ſiue parabolica ſit, per-
oſtrum ſyſtema aduena-
m extendentes & ſic in
m venientes, moxque
li, ſub quo cernuntur
barbatos, vel caudatos
deeſſe ipſi videntur ar-
m eandem haud plane
entia, modo ex obſer-
t, Cometam ſupra Sa-

OLION.

xplicando Cometarum
omenis maximam par-
nam hypotheſin adopta-
uod de mutatione cor-
in Cometam, & deſtru-
er Cometam dicit, non
n inuenerit. Curioſum
aetermittendum, quod
*Sinopſ. Cometic.* habet,
tentiae robur aliquod
. Nam Cometarum
dos, vbi ſcilicet eorum
orbitae telluris inter-
ſecat,